



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Liber Primus. De extraordinarijs vijs, quibus illam Deus, jam inde ab ejut
principijs duxit, per admirandas gratias, horrendos cruciatus, & eximias
virtutes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580



PRIMA PARS
MIRABILIS VITÆ
MARINÆ
DE ESCOBAR.

De extraordinarijs vijs, quibus illam DEUS,
jam indè ab ejus principijs duxit, per admirandas gra-
tias, horrendos cruciatus, & eximias
virtutes.

LIBER I.

CAPUT I.

De ejus Parentibus, educatione, & virtutibus
ætatis puellaris.

Venerabilis & Illustri Vir-
go Marina de Escobar, na-
ta est Vallisoleti, anno mil-
lesimo, quingentesimo,
quinquagesimo quarto, o-
ctavâ die Februarij. Fi-
lia fuit nobilium Parentum; Patrem habuit
Doctorem Jacobum de Escobar, oriundum
Civitate Roderici; Matrem Margaritam
Montanam Montis-Serratensem, filiam Do-
ctoris Bernardini Montana, qui fuit Proto-
medicus Imperatoris Caroli Quinti. Am-
bo eminuerunt virtutibus Christianis, ac ti-
more DEI, imprimisque Pater excelluit, non
solum virtute, verum etiam doctrinâ Juris,
tum Civilis, tum Canonici: gessit munus
Advocati in Regia Cancellaria Vallisoleti,
docuitque multo tempore, in insigni ejusdem
Urbis Universitate. Deinde Ossuna fuit Gu-
bernator illius Ditionis, postulatus à Duce,
& honoratissimum inter Juris Doctores ob-
tinens locum, primariam in Academia qua-
driennio explicuit lectionem: postea redijt
Vallisoletum ad suum pristinum officium,
tametsi non diu Advocatum egerit, ed quod
esset quàm timoratissima conscientie. Re-
versus autem ad docendum in Universitate,
obtinet Cathedram, è qua Sextum Decreta-
lium

lium est interpretatus: in cuius sincera petitione apprimè demonstravit Christianam suam virtutem, benedicente DEO ipsius equitati, cum nullo iniquo uteretur, vel fucato medio, quod illi adversaretur. Verum id, quod ego, qui tum discipulus scholam frequentabam, plurimum mirabar, erat nam ejus modestia & compositio exterior, unàque tanta gravitas, tranquillitas, ac moderatio actuum, ut præclarum præbuerit toti scholastica juventuti exemplum.

Sed ut hujus Viri sanctitas appareat, sitq; exemplo constitutus in illius officio, referam hic vitæ ab eo gesta methodum, ut ejusdemmet examina manu reperta est in serinio armarij, ubi sua reponere solitus erat scripta, his conceptis verbis:

Norma, juxta quam cogito, DEO
juvante, instituere meam vitam,
est sequens:

IN primis, ubi manè surrexero, preces aliquas fundam ad Beatissimam Virginem, conferam me ad Sacrificium Missæ, & diebus Festis ad Concionem; quam audiam attentè ac devotè, rogando DEUM, ut mihi ignoscat errata, detq; gratiam sibi serviendi, impertiatur etiam verū dolorem de meis peccatis. Statuo, ubicunque me esse contigerit, non consentire murmurationibus; impedire, & reprehendere juramenta; dare bona consilia; ignoscere offensas, & super omnia æquanimiter pati ac tolerare injurias, afflictiones & adversitates, quarum se mihi offeret occasio: visitare quoq; quotidie aliquem infirmum, eundem solari, & ipsi suppeditare, quantum opportunè potero; adire afflictum solatij præbendi gratiâ; comitari ad sepulchrum vitæ functos, largiri elemosynam, corde hilari, cuius illam petenti, juxta meas facultates; pauperes, quos reperero in vijs & plateis, diverforio carentes, excipere hospitio, ac reficere, & offerre illis cibum ac potum, nec non vestitum, prout mihi fuerit possibile, considerando, me domo excipere Christum Dominum, què is pauper repræsentat: diligenter curare, nè ullus à me abeat tristis, ac desolatus,

sed potiùs lætus, & recreatus; gestare cilicium, vel funem super nudam carnem; flagellare me semel qualibet septimanâ; jejunare, non solum, quando id præcipit Ecclesia, sed pridie etiam cujusvis Festi Beatissimæ Virginis, & si potuero, ferijs sextis: accedere statim diebus ad Audientiam; lites, quarum suscepero curam, diligenter legere, iisdemque magnum studium impendere; sistere me & comparere, informare scripto, vel oratenus; non agere tyrannicè cum litigantibus; loqui illis comiter & amicè: præterea dictare lectiones scholasticas studiosè elaboratas, & pro discipulorum profectu; contemplari subinde, suppetente mihi tempore, Vitam & Passionem Christi Domini; considerare accepta à DEO beneficia, eique pro illis gratias referre & laudes; amare ipsium, & illi servire propter ejus bonitatem.

He sunt Leges, ad quas vitam exigebat iste DEI Servus, quam non dispar subsequuta est mors: tam enim certum est, eum frui celesti gloriâ, quam est certa ista hæc Historia, siquidem à Filia sua postea sepe fuit inspectus in cælo inter alios sanctos, ab eademq; auditus, dum dulcissimis illam solaretur alloquijs, ut deinceps videbimus.

Ex ista adè integrè ac sancta radice, enata est felix hæc planta, minime dissimilis suo Patri; qui tres jam habens filias, at prole carens masculâ, hanc à DEO, non tamen absque resignatione in ipsius voluntatem, instantissimè petebat: atque cum eo teneretur desiderio, sensit quandam inspirationem, seu vocem DEI sibi internè dicentis, futurû, ut, si illi filios negaret, daturus esset filiâ, plus ei allaturam comodi ac emolumenti, quam multi adferrent filij, cui esset insignes præstiturus gratias: quod illum magno affectu solatio. Hoc autem post multos annos fuit revelatum isti Famula DEI ab Angelis, qui illi semper assistebant, ut eam solarentur in acerbis quibusdam cruciatibus, quos patiebatur. Nata igitur ipsi est quarta filia, quam vocavit Marinam, admodum conformis Parentibus, quoad naturam bonitatis, qua disponit, plurimumq; confert ad virtutem. Siquidè enim illam DEUS ad sublimissimam clea-

re decreverat dona supernaturalia, voluit selectorum pro iisdem donorum naturalium iacere fundamentum, dotando ipsam mansuetudine & suavi indole, ingenio docili, & prompto ad imbibenda bona documenta, ac monita; apto intellectu ad quidlibet condiscendum, ac bene percipiendum, quod doceretur; preclarâ ad retinendum memoriâ, ne obliuisceretur, quod semel didicisset; iudicio pacato & modesto, cui non deesset naturalis modestia & gravitas, quam demonstrabat verbis & factis, quæ omnia longè magis postmodum gratia perfecit. Sed quia profundissimâ opus fuit animi demissione, ut tam excelsum adificium, quantum erigendum, statet quam securissimè, placuit DEO fundamenta pro eo ponere, dum naturâ illi dedit mirè verecundam, & vehementer in proprijs rebus meticulosam, ita ut hic metus, à quo frequenter & quàm potentissimè irruendebatur, ei freni instar esset, atque calcari: instar freni quidem, ne evanesceret, neve sibi fideret; instar calcariis verò, ut recurret, confugeretque ad DEUM, à quo omne dependebat ipsius auxilium, ac robur.

Præterea illam DEUS etiam voluit esse ab ipsa infantia præditam singulari quadam propensione ad ea, quæ virtutem concernunt, ac pietatem, providendo ipsi de personis, quæ illi in hoc prodesse. Et quamvis ejus Parentes fuerint ita probi & exemplares, ac fuisse dictum est, commodiorem tamen aliam inijt viam: quia, cum unius esset ac dimidij anni, advenit Civitate Roderici Vallisoleum Avia paterna, ut sui Filij inaugurationi in Doctorem interesset, quæ Neptis sibi cognominis amore capta, domum revertens, ipsam eodem abduxit, ubi specialem illius gerebat curam quadam ejus Amita, quæ ipsam doctrinæ Christianæ imbuebat rudimentis. Et verò brevi capacem comperit instructionis puellam, quia, cum vigesimum attigisset ætatis mensem, DEUS illi dignatus est accelerare usum rationis, id quod ipsi postea fuit revelatum. Cum Decalogi præcepta ediscere capisset, necdum biennio, trienniove major, specialiter expendebat primâ, sublatisque ad cælum oculis, interrogabat magno affectu suam Amitam, quidnam esset, DEUM super omnia amare? illâ verò

respondente, esse magis DEUM, quàm suum Patrem, & suam Matrem, ac suam Amitam, & quàm reliqua omnia amare; iterum frequenter ipsa apud se hæc verba: Amo DEUM magis, quàm meum Patrem ac Matrem, & quàm Amitam, quàmque reliqua omnia. Et veluti metuens, ne suam animam alius occuparet amor, quàm Divinus, sæpè dicebat: Amo DEUM super omnia, & nihil magis quàm illum, sed neque ita, sicut ipsum. Hæc intentis affectibus, exquirebat abditos domus angulos, dicens ad DEUM: Ibo ad solitudinem, investigatum Te, Vita mea. Vitabat alias puellas, atque si quod in illis animadvertibat peccatum, tenerè illacrymabatur propter offensum eo DEUM, quem tantoperè diligebat. Cum esset quadrimula, habitaretque tum temporis cum sua Amita in quodam loco, quatuor à Civitate Roderici levis distito, dicto Robleda, præterfluebat ejus domum rivulus aque, ultra quem erit pratum: accessit puella ad rivulum, & pratum versus aspiciens, nescio quid viderit, ut intra se diceret: Volo transire istum rivulum, ut ibi quæram DEUM meum: cumque jam elevarisset pedem, ut ingrederetur aquam, dixit illi DEUS: Quid agis puella? expecta, quò vadis? cui ipsa: Volo, inquit, quærare meum DEUM. DEUS verò respondit: Ego ipse sum DEUS, quem tu quæris, & qui te prius quæsi: veni mecum; pergensque cum ipsa, deductam usque ad domum Amitæ, reliquit in introitu porta. Quod factum memoriâ recolens, cum etate jam esset grandior, dubitabat, verène sibi id accidisset, vel fuissetne imaginatio: & dixit illi ejus Angelus, verè accidisse, siquidem ipse adfuisset, quando ea res evenit.

Jam tum capit multis Christum Dominum venerari precibus, precatoriâ coronâ Beatissimam Virginem, atque alijs orationibus alios Sanctos, quin & supplicare pro animabus Purgatorii, & existentibus in peccato mortali. Quem orandi modum est profecta ad annum usque nonum completum, quo domum ad suos Parentes Vallisoleum redijt.

Quàm gratia DEO fuerint exercitia ejus puellaria, ipsa deinde intellexit ex quadam

revelatione. Cùm enim aliquando vehementes pateretur cruciatus ac dolores, DEUS, ut illam solaretur & recrearet, quemadmodum consuevit, spectandam ipsi exhibuit terram consitum caryophyllis, & rosis, alijsq; varijs pulcherrimis; & suaveolentibus floribus, quos sigillatim multi parvi Angeli, referentes speciem puellorum, decerpebant: & consecerunt ex ijs tres, quatuor de fasciculos, impositosq; suis necis obtulerunt Puc-

ro JESU, qui parvulus jacebat in cunis, & elevato capite eos blandè est intuitus, rursumque recubuit. Illa conabatur, quantum poterat, suo more, oculos ab isto spectaculo avertere, nec volebat interrogare, quidnam id esset, sed ipsius sancti Angeli illi dixerunt, eos flores ejus opem esse, facta in etate puellari, oblata ab Angelis JESULO, ut inde intelligeret, quàm illi fuerint grata.

CAPUT II.

De varijs rebus, quæ ipsi contigerunt in adolescentia, quibus eam DEUS disposuit pro donis extraordinarijs, quæ illi conferre volebat.



*C*um pervenisset Vallisoleu paucis post diebus illam. DEUS incepit expolire, ac aptare pro extraordinarijs gratijs, quas ipsi prestare decreverat, disponendo ac permittendo, pro sua altissima Sapientia, ut varios in via virtutis, prosperos & adversos experiretur casus, quos ipsa met postea recensuit, ut sequitur. Ubi tamen advertendum est, nihil græve scienter ab illa commissum fuisse in omnibus ijs, que refert tanquam peccata, licet proprium sit humilibus, ut existiment esse græve id, quod est in oculis DEI leve.

S. I.

Exercetur tentationibus, & scrupulis.

OMnis, inquit, virtus, & bonus instinctus, quem Dominus DEUS largitus est meæ animæ, duravit exiguo tempore, quia tanquam fragile vas testaceum, quod nequit infusum continere liquorem, effudi totum, & citò perdidit. Cùm hæcque decem circiter essem annorum, incepi dissipari, quia DEUS me quasi mihi ipsi reliquit, ut viderem, & agnoscerem, esse donum ipsius, quidquid ante habueram, meque nihil habere, nec posse habere boni ex me ipsa; utque hac ratione Divina ejus

Majestas in me profunda jaceret cognitionis mei ipsius fundamenta, possetq; securius & firmius ædificare, quod constituerat, si ego inde scivissem proficere. Occasio mei malifuit, quod me associaverim cuidam coetaneæ valde petulanti, & non bonæ indolis puellæ, à qua didici quasdam petulantias, ac jocos non adeo modestos, & singularem habere curam componendi capitis, concinnandique capilli; optabam videri tantum superficie tenus bona, absq; perversa tamen intentione gravis peccati; proferebam multa verba vana, immixtis facetijs, quæ displicebant meo bono parenti; intermixta devotiones mihi prius consuetas, neque jam orabam Rosarium Beatissimæ Virginis, immemor, ex mea ingratitude, & incuria; ingentium obligationum, quibus DEO eram obstricta; & in his vanitatibus perseveravi usque ad decimum quartum ætatis annum.

Hoc tempore, Pater misericordiarum misertus meæ miseræ & perditionis, cum me deberet deserere, & abigere ad infernum, ut mea magna peccata merebantur, quæ sivit me, instar boni Pastoris, qui querit ovem suam perditam, ac defert in humeris ad suum ovile; habetque illius curam, & ipsi condolet: hoc modo quæ sivit infinita bonitas nostri magni DEI ac Domini, perduxitque ad se istam suam miserabilem, vilissimam, & omnium infidelissimam

finam creaturam. Via, quam hunc in finem assumpsit, fuit, quod animum cuiusdam Patris gravis, & Concionatoris e Societate JESU, nostri cognati (erat is Pater Hieronymus de Ripalda) qui advenerat habiturus in Domo Professã hujus Civitatis Vallisoletanã, permoverit, ut inviseret meos parentes. Unde brevi bono ipsius consilio, & sanctis adhortationibus factum est, ut decreverimus omnes expiare peccata apud Patres dictã Societatis, id quod mea Mater statim est executã, ducens me secum, & reliquas meas sorores; atq; itã mihi obtigit pro excipiendis meis Confessionibus quidam servus DEI, & doctus Religiosus (Pater Dominicus de Samanigo) qui per DEI gratiam, & suã bonã doctrinã, ac instructione me reduxit, effecitque, ut agnoscerem meos defectus & peccata, adhibendo semper diligentia, pro sua charitate & providentia, ut proficerem, utque eliminaret ex mea anima, quidquid me impediret, quod minus progredere in virtute, & sic intrã pauculos menses, seu septimanas, deperdidit malos illos habitus, quos acquisiveram, & incepti ingenti fervore satagere, ut quã sollicitissime servirem Domino DEO, & extirparem ex anima mea quã diligentissime, quidquid intelligebam illi displicere, esseque ejus offensã; recolligebam etiam me ad peragendas meas devotiones quã accuratissime, ac studiosissime. Legebam assidue sanctos ac pios libros, conabarque semper exequi doctrinas, & monita in illis tradita; sæpẽ confitebar singulari adhibitã operã, præparando me ad sacram exomologesim, quã optimẽ poteram & sciebam, semper præ oculis habendo peccata vitã præteritã, ac de illis dolendo, eadẽque confitendo. In serviebam meis Parentibus, & obediebam ipsis exactissime; educabam & instruebam meas sorores diligenter; peragebam speciales & extraordinarias penitentias; jejunabam, vigilabam, & orabam; gestabam cilicia frequenter; me flagello cruentabam, aliãque hujusmodi faciebam; & in isto vivendi modo aliquamdiu perseveravi, quasi quadriennio.

Intra hoc tempus, quasi subito DEUS, Pater misericordiarum (qui semper invigilat vijs & semitis illorum, quos Divina ipsius Majestas ex æterna sua bonitate & clementia respexit oculis suã misericordie, ut ipsos adjuvet ac deducat ad omne bonum, dummodo nos id nostris peccatis & negligentia non perderemus, qualiter ego facio) permisit pro meo majori bono, si hæc ego scivissem agnoscere, indeq; proficere, ut me diabolus tentaret, ac affligeret animam meam, concessã ipsi, ad id facultate, ut sic evaderem fortior, disceremque panem comedere cum crusta, & scirem, quid sit diabolus, ejusque insidie ac nequitie, & quã sim ego, ac mea debilitas, cognosceremque Divinam Bonitatem & misericordiam. Proinde me cœpit statim exagitare gravibus, & molestis, multis ac varijs tentationibus, quã longo tempore meam animam exercuerunt, in magna angustia & afflictione constitutam, diu, noctũque, & sine intermissione; quamvis, quã DEI erat misericordia, magis molestaverint animam, quã in notabile aliquod induxerint discrimen; etiam si nulla sit tentatio, quã, nisi nos DEUS juvaret, atque custodiret, non adferret periculum animã. Præterea affligebat me simul dæmon vehementer tumoribus, quod se mihi esset exhibiturus spectandum, meq; malè accepturus. Ego verò utpote miserabilis ac imbecillis ipsum horrebam, ideòq; me non sinebat solam quiescere, quando me recolligebam ad agendum cum DEO in oratione; excitavit insuper in anima mea tantos, tamque molestos & graves omnis generis scrupulos, ut tota essem pusillanimitis, & arefactas consumptasque haberem vires miserabilis corporis, anima verò, his omnibus gravissime torqueretur, nullam habens pacem & quietẽ, adeò ut si DEUS pro sua misericordia non habuisset meã miserie rationem; mihiq; in tanta angustia non succurrisset, fuisset bis tervẽ redacta ad insaniam; quia, ut sum tam miserabilis, debilis, & vilis, non poteram, neque sciebam ullo modo emergere ex caliginã, & caligine, ac tenebris animã, quã, omnium judicio, mihi vehementer nocent.

bant. Licet verò mei Confessarij muleum conarentur curare istam ægritudinem, ac mederi huic vulnere, etiamque ego satagerem, quò me juvarem, non poteramus tamen, nec erat possibile quidquam efficere, quia magnus Medicus ac Dominus sciebat ac volebat, videns id expedire, ut eo tempore essem aperta, eaque ratione expugnaretur malignus humor, qui latere poterat intrà animam, unde postea evaderem purior. Ista crux erat valde diuturna & gravis, quia duravit quasi quatuordecim annis, a decimo quarto meæ ætatis anno, usque ad annum circiter vigesimum octavum.

§ II.

*Quomodo ex proposito inceperit
vacare orationi mentali.*

Postquam progressa fuisset eà viâ, quam exposui, primis quatuor meæ conversionis annis, quibus habui dictum conscientia Arbitrum, & ille fuisset mihi alio, datus mihi est Confessarius alius Pater, magnæ virtutis ac spiritus, multumque deditus orationi (Pater Antonius de Leon) qui me ingenti suscepit charitate, & affectu, conatusque est me semper promovere in virtute; ac in primis mihi continuè suadebat, ut me DEO jungerem, continuando amplius orationem mentalem: dicebat enim, nunquam a se visas fuisse animas, quæ magis virtute excelluerint, quam deditas orationi; quod ego non invita faciebam, quia Dominus DEUS me suâ inspiratione perurgebat, ut huic viæ insisterem, dederatque mihi illius orationis gustum ab ipsis meis principijs. Siquidè recordor, quòd aliquando, dum essem adhuc puella parvula, neque scirem, quid esset mentalis oratio, diu consideraverim mysteria vitæ Christi Domini, non absque magno gustu & solatio meæ animæ, ex quo tempore mansi addicta illi exercitio. Propterea, accedente persuasione Patris, promptissimè suscipiebam eam instructionem, statimque incipiebam mea orationis tempora observare cum insigni voluptate & solatio spiritali; quia Dominus DEUS me subito cæpit consolari. Agebat me-

cum ea in re tanquam cum infante ac debili, præsertim initio, communicabatque mihi Divina ejusdè Majestas eximios sensus, quando ruminabam mysteria Vitæ, & Passionis Dominicæ, replendo meum os melle ac lacte, ut me ita ad se traheret, redderetque mei ipsius immemorem, præsertim verò mihi bene erat, & experiebar magnum profectum ac solacium, quando me crucifixi Domini pedibus afflegebam: ibi erant meæ deliciae, & mea prima ac ultima statio: judicio quoque mei Confessarij hac viâ proficiebam. Quodam die, qui antecedebat Festum S. Michaelis, mihi præstitit Dominus DEUS magnam gratiam, quamvis tunc, necdum videlicet versata in eo exercitio (etsi eam senserim) non intellexerim fuisse gratiam adeò extraordinariam, adeoque pro me novam. Ea verò fuit, quòd illà nocte, post meam collectionem, cum irem (ut quidem putabam) cubitum, mihi ex improvise comparuerit Christus Dominus, præferens speciem & habitum, quo Pilatus ipsius Majestatem eduxit ad populum, quando dixit: *Ecce homo*. Quam visionem ego non modicè admirans, dum expenderem eam novitatem, vix potui integrà nocte dormire; ita siquidem illa animam reddidit attonitam, ac abstractam, atque accendit amore illius Domini, quem videram, ut ipsum non potuerim ex meo corde & anima mea evellere. Unde postridie adeò stupebam, & ardebam amore ejusdem Domini, ut, cum me Mater mea ad spectandas nundinas, quæ eo die Vallisoletu celebrantur, magis coactam, quam volentem duxisset, quando me adverti esse in foro inter tantum populum & strepitum, vix sciverim, quomodo illuc devenerim, ferèque non viderim, neque intellexerim, quid illic ageretur, quia habebam animam quasi totam sancto illo amore occupatam, & sensus exteriores veluti sopitos. Eo tempore incidi in gravem morbum, ex quo ter existimabar moritura. Passa fui gravissimos dolores atque cruciatus, quos egolibenter amore Domini mei tolerabam, & speciali afficiebar solatio, quando cogitabam, quòd me DEUS vellet ad se assumere.

re. Sed quia necdū aduenerat hora, quam Divina decreverat Majestas, eodem momento, quo sumebam Venerabile Sacramentum, conualecebam, & sanabar à febrī, id quod tribus vicibus accidit. Propterea obstupescens medicus, & qui aderant spectatores, dicebant, quotiescunque me cum periculoso morbo conflictari animadvertabant, ut curarer medicinā epuli Eucharistici, quæ pro me sola illis esse effica videbatur. Eā infirmitate fui vehementer debilitata, adeò ut nunquam amplius vires habuerim pro tantis pœnitentijs, quantas antea peragebam, vel ut atente, ac tam diu me impendere possem orationi, in qua prius eram solita noctes cōjungere diebus, quamvis in ea me DEUS, ut sæpe confueverat, magnā exercuerit ariditate, & alijs gravibus ac importunis diaboli tentationibus, verumque etiam sit, quòd mihi Dominus DEUS his annis magnam istam præstiterit gratiam, ut me frequenter in exercitio orationis præservaret, nè inquietarer à dæmone, aut affligerer continuis ipsius molestis tentationibus ac scrupulis, quemadmodum faciebat toto eo tempore, & omnibus illis annis, de quibus sum locuta. Per hoc etiam tempus bis peregi confessionem generalem, præmissā optimā, quam adhibere potui, & scivi, præparatione, conando omnibus viribus meis in illa placere Domino DEO, & meam mundare animam ab omnibus meis culpis & peccatis. Progredienti mihi hac ratione & viā in meis exercitijs, dabat Dominus DEUS multas bonas inspirationes, & sancta ac ferventia desideria, præsertim verò sensi vehemens & speciale, diūque durans desiderium, ut fierem Monialis Carmelitana discalceata; sed hoc mihi propter defectum valetudinis, & virium non concedebat meus Parens ex consilio medicorum, quia ipsis, secundum eorum principia, videbatur esse impossibile, ut perseverarem in illa Religione tam rigida & austera, ideòque mea desideria non fuerunt mandata executioni, eò quòd non essem digna tam beato & cœlesti statu, ac propter alia, quæ Dominus DEUS novit: sunt enim incomparabilia iudicia ipsius,

nec illa potest ullus comprehendere. His annis, eòque tempore, multas patiebar persecutiones à quadam persona, quæ ob nonnullas causas, ipsius opinione non malas, perperam de me loquebatur, volebatque quibusdam vijs impedire mea exercitia orationis & confessionum, ac audiendarum concionum, nec non operum charitatis erga proximos, atque adeò me quàm sæpissimè affligebat, ut propter meam pusillanimitatem caverem, nè illa persona resciret, quid agerem, meque idcirco persequeretur; neque auderem ipsā vidente gratificari, vel aliquid benevolentie exhibere pauperibus. Patiebar etiam illis annis aliam afflictionem, pro me non exiguam, quòd videlicet mihi semper deesset tempus pro meis exercitijs, propterea quòd obediendum fuerit Parentibus, qui me multum occupabant præstandis sibi obsequijs: licet enim verum sit, fuisse ipsos ex honoratioribus, & primoribus, ideòque habuisse ancillas, quæ suffecissent ad interveniendum ipsis, eorundemque prolibus, mea tamen Mater, utpote admodum prudens, semper suas filias cum ancillis exercebat negotijs domesticis, atque me imprimis perpetuò occupabat educatione ac instructione mearum fororum minorennium, & alijs quibusdam rebus: quo fiebat, ut me semper deficeret tempus, eò quòd illis inservirem speciali solitudine, & promptitudine, ut adimplerem quartum DEI præceptum, qui nos jubet honorare nostros Parentes, iisdemque obedire, & usque adeò erga me se exhibebat benignum, ut etiam in exterioribus occupationibus invenirem Divinam ipsius Majestatem, neque distraherer, vel illius ideò viverem immemor, siquidè pro viribus conabar conservare internam sensuum collectionem.

§. III.

Deserit orationem mentalem.

CUM ità feliciter progredederer, magnus CDEUS ac Dominus noster, cujus oculi perspiciunt & penetrant abditissimos nostrarum animarum recessus atque affectus, eò quòd ipsi magis videretur necessarium

rium profundiora in me jacere fundamenta propriæ cognitionis, sine qua est impossibile ædificare firmiter & secure, indulfit denuò diabolo, ut me tentaret, ac probaret per octo circiter hujusmodi meorum exercitiorum annos, dum mihi à confessionibus esset alius Pater valdè pius, doctus, ac spiritualis, quem aliquot jam annis conscientia habueram Arbitrum, propterea quòd alter migraverit ad aliam domum. Via, quâ diabolus rem suam cœpit agere, fuit, quòd conjecerit oculos in meam naturam timidam, ut eâ utens, facilius voti sui fieret compos: magni namque semper facit, si utatur in suum commodum, dum potest, naturali complexione, ut nos circumveniat: orsus proinde est, me terrere sub specie virtutis, dicendo, huic orationis mentalis methodo multa subesse & magna pericula, ac sæpe, quemadmodum reperitur scriptum, & experientia docemur, dæmonem se transfigurare in Angelum lucis, ut nos seducat, ideòque optimum & prudentissimum consilium fore, si vitarem istam occasionem, desereremque hanc viam, & viâ incederem planâ, observando sancta decem præcepta, neque me immitterem profundius, ubi fortè commissura essem errores, & habitura molestias, ac afflictiones. Hac ratione meam animam in magnas redigebat angustias, ut nescirem, quid mihi esset agendum, vel quæ via ineunda: reddebat etiam me obliviosam, obscurabatque mihi intellectum; unde fiebat, ut tacerem, neque istam tentationem manifestarem meo Confessario, & sic fui superata. Cum enim essem adeò timida, & scrupulosa, haberemque ita obtenebratum intellectum, non poteram, neque sciebam intelligere, aut cognoscere hostem, qui ita præferebat virtutis, & boni consilij speciem: sed nec habebam vires & robur ad sustinendum illum impetum, quia necdū eram profundè radicata in virtute, neque, ut est opus, me multum solidaveram in mei ipsius cognitione. Quare Dominus DEUS justissimè permittit, ad majus bonum meæ animæ, modò ego indè scivissem proficere, ut me hoc modo deciperet, videremque ita & cognoscerem

denuò, quid essem, ac meam exiguam virtutem, quàmque parum valerem, ac possem absque ipsius auxilio, & misericordia.

Postquam ergo aliquot annis virtuti, ut apparebat, studivissem, eamque professam fuisset, & postquam etiam tantas susceperam à Divina Majestate gratias & consolationes in oratione, totque bonas inspirationes, propter mea peccata, & occultas ac latentes imperfectiones infeliciter secundò cecidi, quo mihi innuebatur, ut resipiscerem, ac sollicitè vias & gressus meos considerarem, quâ incedendum, & ubi figendi mihi essent pedes, atque diligenter scrutarer occultos affectuum & passionum animæ recessus.

Cum mihi diabolus hoc mendacium persuasisset, continuè me tentando, quod duravit multis diebus, denique ex proposito orationem, quæ est animæ cibus, deserui, & sic prolapsa sum in quandam gravem intellectus obscuritatem, propter quam non videbam lumen virtutis, ut illam exercerem, ac amarem, & in tantam cordis durtiæ, ut videretur conversum esse in lapidem, vel metallum, ideòque misera anima non erat potens, aut idonea ad invadendos suos hostes, neque habebat oculos ad ipsos agnoscendos, quin potius sinebat se ab illis vinci, dantdo locum passioni iræ & melancholiæ, quasi non essem amplius, quæ fueram, neque affectuta fuisset à Domino DEO misericordias & gratias, quas recensui, videbaturque mihi esse impossibile quidquam circumspicere. Quando se mihi aliqua occasio offerebat, atque sæpe licet nulla se offerret, deprehendebam me prolapsam in multos defectus, ac misérias, multumque exorbitavisse, quia volebam, quæ rationi erant contraria, & insolentia; atque ita molestabam & affligebam meam Matrem & domesticos, quos vexabam meis ineptijs. Quin & ego ipsa miserabilis vivebam, ob has imperfectiones & misérias, in continuo cruciatu, & afflictione, deperdendo pacem animæ, ejusque tranquillitatem, nec non & sanitatem corporis, atque capitis. Tantum erat meum tormentum, & ea melancholia, ut nisi Dominus DEUS mei fuisset misertus, secun-

secundum magnitudinem misericordiae suae, saepe insanivissem, propter ingentem meam anxietatem, & perturbationem, oratam ex perpetuis & vehementibus insultibus irae, & melancholiae, quia haec me passio maxime impetebat; & hoc modo omni gustum rerum pertinentium ad devotionem, adeo ut mihi elaberentur multi dies, quibus ne quidem orabam Rosarium Beatissimae Virginis, & si illud quandoque orabam, faciebam id valde tepide ac aride, & sine animi collectione; non libenter audiebam conciones, ideoque perpauca intereram, & quasi nullis, praetendendo defectum valetudinis; confessionem peragebam raro, differendo illam diutius, quam consueveram, quia ab una confessione ad aliam tres vel quatuor labeantur septimanae. Hac ratione, & in his passionibus agebam vitam vehementer afflictam, ac molestam, tum mihi, tum alijs, qui mecum versabantur, ita ut nihil aliud possem praestare, quantumvis id toto desiderarem conatu, quia tantopere illae passiones meam animam subjugaverant, ut mihi videretur impossibile, emergere ex illo pelago miseriarum, nisi me Dominus DEUS inde e-rueret, cujus erat totum illud opus. Quia vero jam degustaveram Dominum DEUM, remanserat nescio quid in anima de ipsius Majestate: quo fiebat, ut inter has miseriae & anxietates suspirarem & gemerem, optans illum statum pacis, ac tranquillitatis, quo propter mea peccata excideram, diceremque Domino DEO aliquando lacrymans: Quid est hoc, mi Domine? Quis me perduxit ad tam lugubrem & miserabilem statum? In hunc modum vixi circiter quinque annis, quo tempore Confessario utebar diverso ab illo priore, qui discesserat ad missionem Indiam: & vehementer ipsum molestavi meis defectibus, miserijs, & melancholijs; sic enim eas ille appellabat, ideoque faciebat, quantum poterat, quod me consolaretur.

§. IV.

*Iterum se tradit orationi, cum
majore tum applicatione,
tum fructu.*

E Voluitis his quinque annis, trigesimo tertio aetatis meae anno, dignatus est me Dominus DEUS, pro sua misericordia, & ex incomprehensibilibus suis judicijs, secundo vocare, & extrahere ex hac miseriarum atque eocitatis abyssu, in qua vivebam; non autem plectere mea peccata, gravibus poenis, quas talis merebatur ingratitude, & irreverentia, ut ita in me magis agnosceretur ipsius bonitas & misericordia, utque deinceps timerem ac tremarem coram Divina Majestate, tanquam eo Domino, quem toties offenderam, & ex cujus domo ac protectione excesseram. Ut ergo Divina Majestas, opus, adeo sua bonitate & misericordia dignum, perageret, coepit cordis mei duritiam emollire, disponendo illud, pro imprimendis in eo favoribus, & gratijs, quas sua Majestas constituerat mihi conferre, secundum sua altissima, & incomprehensibilia judicia, ut sic magis cognosceretur, ac laudaretur a suis creaturis ejus magnificentia, & bonitas, ac misericordia; eo quod non repellat a se peccatores, neque dedignetur aut renuat cum illis agere, & conversari, quin imo eos quærat, trahatq; ad se, si nos ipsi non fugiamus, sicut apparuit, atque tam elare in haecenus dictis, patuit. Postquam igitur dispositum, sicut dixi, & emollitum fuisset cor meum a manu Domini DEI, incepti quadam Quadragesima experiri novum gustum in anima, ac desiderium audiendi conciones, haberi solitas qualibet feria sexta, cujusdam Patris e Societate, in quibus ingenti spiritu, & fervore egit de materia magni momenti, qua scilicet ratione Dominus DEUS, cum posset multa media pro nostra salute ac remedio assumere, elegerit suam sacratissimam Passionem, & quomodo hoc fuerit aptissimum, ad finem, quem sibi Divina Majestas proposuerat. Percipiebam magnum fructum ex auditione istarum concionum, quia cor in dies illa Divini Verbi medicinam aliquantò magis mollescebat: praeterea etiam Dominus DEUS, videns meam miseriam ac imbecillitatem, quodque nihil possem, removit a meis oculis quasdam occasiones, quæ

C

me

me specialiter affligebant, & impediabant, ne emergerem ex eo pelago miseriarum. Hunc in modum de die in diem plus experiebar solatij, & fructus in mea anima, o-pitulante mihi DEI gratiâ, & his Divinis subsidijs, adeo ut citissime fuerim liberata ab omnibus illis miserijs: quia namque illud opus totum erat DEI, perfectum est à Divina Majestate, quando ipsi libuit, me, ut mihi videtur, valde parum collaborante. Taliter perveni paulatim, DEO juvante, ad statum peculiaris cujusdam gustus, ac sensus, & cognitionis DEI, ipsiusque perfectionum, gratiarum, & mirabilium operum, intermicantibus in mea anima repentinis irradiationibus luminis, revelantis mihi tanta mysteria, ut sæpe obstupefcerem, & quasi à sensibus abalienarer, cum ita collustrata viderem & cognoscerem res tantas, modò de Magnitudine immentæ Majestatis DEI, modo de illius Omnipotentia, & subinde infinita ejusdem Sapientia, aliisque Divinis perfectionibus. Sub initia istarum gratiarum, quas mihi Dominus DEUS conferebat, me gerebam instar cujuspiam rudis ac simplicis rustici, cui Rex præstitisset gratiam veniendi ad suam aulam & palatium, ibique ostendisset suas divitias, ac magnificum apparatus, qui conspectis tantis rebus, nunquam à se visis, admiraretur, & stupens ac attonitus omnia perlustrando interrogaret, quidnam hoc esset, illudve? Ità mea anima in his principijs hærebat, & obstupefcebatur propter tantarum novitatem rerum, quas videbam, & quæ mihi exhibebantur. Hac ratione me sibi Divina Majestas addixit adeo, ut jam occupata à sancto ac Divino ejus amore, & quasi nonnihil mei ipsius oblita, dum illum mea anima quæreret, ardens eo igne, quem eadem Majestas in ipsa excitaverat, anhæret ad suum dilectum, quando ipsi videbatur absens. Cùm ita progrederer, Confessarius meus, & Pater spiritualis, qui tantopere mecum laboraverat, singulari fuit perfusus solatio, videns ea, quæ in me DEUS operabatur, & ipsius gratias, agebatque mecum jam longè aliter, quia me inveniebat ad id dispositam, mortifican-

do me quibusdam in rebus, quantum ferebat mea imbecillitas, & requirebant illa principia. Hoc tempore, & statu meæ animæ, placuit Domino DEO auferre mihi istum Patrem spiritualem (*Patrem Didacum Perez*) immittendo ipsi gravem infirmitatem, ex qua obijt: unde fui valde desolata & afflicta, quia mihi ex diuturno meorum scrupulorum morbo nihilominus remanserant quædam reliquæ, ut cum ijs Confessarium mutare mihi fuerit vehementer difficile, ac præterea, Confessariorum judicio, noxium. Atque diabolus videns me ita solam, & Patre ac Magistro spirituali destitutam, adeoque perperam, ut mihi à nemine viderer intelligi, incepit me torquere & affligere timoribus, ut me non sineret quiescere, seu somnum noctu capere, ingerendo mihi imaginationes, quod me malè esset tractaturus, & invasurus: suscitabat quoque denuò in anima mea scrupulos ac tentationes, ut proinde viverem, quasi acta in crucem. Sic eam septem vel octo septimanis afflicta, non habens certum Confessarium, qui me juvaret, quia mihi nullus videbatur aptus, ideòq; non adibam ordinariè unum, eundemque. Elapsis his septimanis, inspiravit mihi Dominus DEUS voluntatem, assumendi in Arbitrium conscientie quendam Patrem ex ijs, qui ibi commorabantur, apprime religiosum, gravem, & prudentem, naturâ tamen non nihil austerum (*Patrem Franciscum de Lam.*) Hic Pater mihi cum DEI gratia multum profuit, quia, spectato meæ animæ statu, existimabat, ut erat prudens, me confortandam esse frequenti sacrâ Communione. Antehac me celesti pane reficiebam ordinariè octavo quoque die, ipse verò me id ex obedientia facere jussit bis intrâ septimanam, & quandoque sæpius. Divino isto epulo mea anima tantopere fuit corroborata, ut jam esset disposita ad patiendum & sufferendum plus, quàm carenus, amore DEI, neque subterfugerem crucem, aut recusarem amplius tolerare, licet frequenter possem. Dum me ita videret confortatam, cepit me valde seriò, secundum meum genium, & vires mortificare, multisque modis humiliare,

re, adeò, ut me quatuor vel quinque annorum spatio semper quasi continuo crucifigeret, licet nescirem, nec intelligerè, qualia essent illa mea peccata, propter quæ ita me tractaret, faceretque ac diceret talia. Sæpe me privabat sacrâ Communionem, cum tamen ignorarem causam, nec ipse mihi eam diceret: quando verò illam dicebat, innuebat mihi, hac ratione me non progressuram ulterius; id quod me vehementer affligebat, & cruciabat. Subinde me magna cum severitate, & quadam cholera, quæ mihi incutiebat tremorem, reprehendebat de eo, quod nec feceram, nec dixeram, neque cogitaveram: & nullam omninò admittebat excusationem (neque ego ipsi illam adferebam, ad excusandum id, cuius me arguebat) cum interminatione gravis pœnæ. Abigebat me aliquando, & pellebat ex sua sede confessionali, dicens, nolle se amplius mihi confitenti aures præbere, eò quòd non essem obediens, humilis, vel aliquid aliud, quòd ipsi dicendum videbatur, permittebatque me hoc modo aliquot diebus cruciari, & vehementer affligi, quamvis ipsum rogarem, & per amorem DEI obsecrarem, ut me reciperet, atque ad homologeterium suum admitteret; quia propter fructum, quem mea anima capiebat ex ejus instructione, desiderabam illum habere à confessionibus, donec Domino DEO aliud statuere placeret. Quâdam autem vice, etsi non essem rea culpæ, quam mihi Pater imputabat, mortificavit me tribus mensibus, reprehendendo me quotidie ut ream, & negando mihi quibusdam diebus Communionem, quòd mea anima valde sentiebat; aliàs verò eam mihi cõmutando, & transferendo in alios dies, quam solita essem ipsam adire; nunquã illi quidquam, quantumvis parvè, dicebam per illos menses, quin me idcirco reprehenderet, ac mortificaret, diceretque me nescire, quid dicerem: & semper, ac in omnibus me rigidè admodum exercebat, adeò ut notabiliter debilitarer afflictione, & molestiã, quam mea anima ex his percipiebat; cogitabam enim quandoque, me sine dubio, magna habere peccata, quæ ego non cognoscerè,

quandoquidem Pater ita mecum ageret, quamvis ipse, ut erat vir prudens ac discretus, nè meæ animæ ista cogitatio noceret, mihi diceret, non istam esse reprehensionum occasionem, nève illas curarem, sed commendarem id DEO, se enim summo-pere cupere majus meæ animæ bonum: aliquando clarè agnoscebam, difficile ipsi esse ac molestum, me mortificare in ijs, quæ ipse sciebat me vehementer sensurã; quia postquam me mortificavisset, consolabatur me, dicebatque mihi subinde, quando aliquid valde grave toleraveram, quòd me præclarè gessissem, & sicut decet faminam honoratam, quòdque mihi idcirco esset satisfactorius, concedendo mihi eã die, & alijs sacram Communionem. Incidi eo tempore in longam & gravem infirmitatem, in qua sum passã multas afflictiones, ac diversas molestias, non solum quas ingentes adferebat infirmitas, sed etiam alias perquam molestas & graves, similes ijs, quas sustinui in morte mei Parentis, quæ etiam fuerunt multæ, & valdè arduæ: invisebat me eo tempore meus Confessarius, juvando me multum, & consolando.

§ V.

Acquirit alium Confessarium, sibi magis convenientem.

CUM jam quatuor annis isti Patri fuisset confessus, quamvis proficerem, quantum dixi, neque me ita mortificaret, sicut consueverat, nihilominus propterea, quòd ipsum valde revererer, & propter magnam meam verecundiam, non auderem illi reddere prolixam interni statûs animæ meæ rationem, licet eam ipsi redderem generalem, quæ sufficiebat pro mei directione, adverterem autem opus mihi esse, ut omnia fusiùs cuipiam exponerem, qui me diutius audiret, permovit me DEUS ad alloquendum alium Patrem ejusdem Domûs, qui erat suavioris naturæ, & magnæ charitatis ac spiritûs, cui Divina Majestas contulit peculiare lumen ad me cognoscendam, & intelligendas res meas. Aperiẽbam illi omnia, atque etiam meos defectus, quamvis nihilominus adhuc confite-

rer alteri Patri, quia nunquam audebam illum deferere, donec tandem, postquam Dominum-DEUM instanter rogavissim, ut mihi daret Confessarium, qui mihi conveniret, ad majorem ipsius gloriam & obsequium, consulivissimque graves Patres Domus, qui mihi poterant suum iudicium hac super re dicere, omnes mihi asseruerunt, melius fore, si confiterer isti posteriori, qui erat Pater Petrus de Leon, & relinquerem alterum, cui valedixi, atque ipse factum meum probavit. Ex eo tempore P. Petrus de Leon, pro ea magna cognitione, quam rerum mearum jam habuerat, cepit me regere cum extraordinaria solitudine, cui ego exactissimè obediebam, non praterendo vel minimum quid, quoad poteram, & quod intelligebam ipsi velle, firmâ fide adhibita ipsius dictis, nè errarem, utq; me conformarem in omnibus voluntati DEI, cui anima mea desiderabat omnibus viribus placere. *Hactenus sunt illius verba.*

Ex dictis satis apparet specialis providentia, quâ DEUS adfuit huic suæ famule, dando illi semper Confessarios aptos ad regendam ipsius animam, in statu, in quo tunc erat constituta. Ultimus autem iste illi à DEO datus fuit, quando incipiebat incedere viâ novâ, mimibili, & secundum se periculosa ac difficili, eò quòd esset usq; adeo extraordinaria: quia, cum jam aliquantum perspexisset bonum spiritum, quo agebatur Marina, facilius illam dirigebat, præ oculis habendo salutem animæ, nè tamen corporis valetudo penitus pessumiret. Istam providentiam ipsa deinde intellexit, in quadam visione, in qua cã illi pro ipsius solatio DEUS hunc in modum manifestavit.

Cum, inquit, essem collecta in oratione, & propter meam debilitatem decumberem in lecto, vidi Christum Dominum stantem ad meum cervical, & mea anima fuit repleta solatio, quamvis me quodammodo puderet, quòd me invenisset ità decumbentem, seu prostratam (licet verum sit, quòd durante illâ intellectuali visione animæ non habeam eum usum sensuum externorum, ut possim advertere, an de-

cumbam, nec ne.) Dum ità mihi adesset Christus Dominus, adverti, quòd aspiceret, ac alloqueretur quandam aliam personam aliquantum distantem, quam ego intuita, agnovi esse meum Confessarium, qui adstabat valde humiliter, & reverenter, capite aperto, oculis demissis, ac defixis in terram, junctis manibus, & invicem superimpositis, coopertus suo pallio, cum magna modestia & verecundia, qualem par est habere coram Divina Christi Majestate. Mirata sum, & habui solatium, quòd illum ibi viderem, quòdque ipsum Divina Majestas alloqueretur; nihil tamen illi dixi, sed eram quasi attonita, dum audirem, quòd ipsi à Domino mansuetissimè & gravissimè dicebatur, videlicet: *Animadvertite, tradidi tibi istam, ut tua sit: habe illam, ut valeam, & custodi, atq; consolare, ac gere ipsius cumm. Dic age, quid tibi videtur?* Quasi diceret: Non feci hoc alijs, sicut potuissim, sed tibi. Ipse id audiebat cum magna reverentia & attentione, annuendo dictis Divinæ Majestatis: ego verò stupebam, & eram attonita, videns amorem istius Domini, quò tanto persequitur peccatores, eorumdemq; vicem dolet; quia non dubito, quin Dominus, quia me videbat aliquoties desolatam, eò quòd mihi videret non esse eo loco, ut de rebus animæ conferre cum meo Confessario, & quia aliquando sumebam ex aliquo verbo, quòd mihi ille dicebat, occasionem desolationis, propterea voluerit ipsum alloqui, eique dicere, quòd retuli & exposui, ut in eo exequeret voluntatem DEI, non autem satisfacerem meæ. Post hoc rogavi Divinam Majestatem, ut suâ sanctissimâ manu protegeret meum Confessarium, darètq; ipsi suam abundantissimam gratiam, ad placendum illi in omnibus suis operibus. Tum abivit prius meus Confessarius, ac deinde statim Christus Dominus, relinquens me hinc quidem repletam solatio, inde verò pudefactam, eò quòd coram me talia meo Confessario dixisset, cum ego propter mea magna peccata essem digna, ut diceret longè alia.

CAPUT III.

De modo, quo inceperunt extraordinariæ DEI
uisiones.

*Differitur de omnibus in genere, ac de bonis, quibus fuit per illas
cumulata ipsius anima.*

Postquam DEUS famulam suam vidit bene dispositam ad id, quod proposuerat in illa operari, statim applicuit manus operi, facto initio ab apparitionibus, & revelationibus, contingentibus in somno, sicut incepit agere cum Patriarcha Jacob, & Rege Salomone, quæ revelationes iuxta Sanctum Thomam, sunt imperfectiores fieri solitis in vigilia, quam accommodatissima tamen incipientibus, nè communicationem huiusmodi rerum attribuunt suis industrijs ac meritis, dum vident, quod eveniant dormientibus, quando alienissimi sunt ab illis petendis, & adhibenda pro iisdem consequendis ulla diligentia.

§. I.

De duabus apparitionibus in somno.

Prosequens itaque narrationem, quam commemoravimus, sic ait:

Cum Dominus DEUS in conferendis mihi prædictis gratijs perseveraret, ut inchoaret in ista miserabili creatura id, quod Divina ipsius Majestas secundum suam bonitatem, nec non altissima & incomprehensibilia iudicia decreverat, excitavit in mea anima magna & ardentia desideria, ut ex intimis meis præcordijs ipsum quærerem ac amarem, propterea que investigarem, ubi reperirem Dominum, quem tantopere amabam, ac desiderabam, dicendo illi diu noctuque: *Ubi es bonum meum, & quies mea, quia tui desiderio emorior? ubi moraris Cor meum; ubi te quaerens & inveniam infinitum Bonum anime meæ?* Dum ita aliquot dies traducerem, apparuit mihi Christus Dominus primum quadam nocte dormienti, & quia illum amabam ex

rota anima mea, somniavi, quod concitato passus, & quasi fatiscens, atque anhela, quærendo DEUM meum obirem quoddam Claustrum & Sacella cujuspiam Monasterij, & quod ita obambulans ex improvise viderim ac invenerim Divinam Majestatem affixam cruci, in specie tam lamentabili ac Divina, ut una ex parte vulneraverit cor meum dolore atque compassione, ex altera vero accenderit vehementi sui amore. Cum igitur ipsum deprehendissem, cucurri sine intermissione, ad amplectendos sacratissimos ejus pedes, & magno affectu, ac reverentiâ, & amore cæpi illi dicere: *Ubi eras Bonum anime, & Cor meum, quod te non invenirem? Quærebam ego te omnibus meis viribus, & non te videbam: ubi te abdideras, dic, Bonum meum infinitum?* Dominus autem me quam amantissimè aspiciebat, audiebatque loquentem, & ostendebat sibi non displicere, quod ipsius pedes indignis meis stringerem brachijs. Amplexabar illos sat diu, cum interim mea anima Dominum suum amaret ex omnibus viribus suis, & recrearetur illo favore. Atque ita expergefata ex eo somno, in quo anima mea tota fuerat abrepta, retinui ardentissimos affectus erga Dominum, quem videram, qui que mihi se jam subdlexerat, firmissimè statuens derelinquere amore ejus universa. Et quia hæc intellectualis visio animæ fuerat prima, ac instar somnij, nihilque simile eram experta, fui attonita hæc novitate, & dicebam ad me ipsam: *Quale somnium hoc fuit, quod adeo animam meam abripuerit, adeoque inflammaverit amore DEI, ut ab illo propè nec ad momentū possim avelli?* Aliâ vice somniavi, me in quodam cubiculo domus meæ reperissem puerulum duorum vel trium annorum, quem ubi conspexissem, existimavi esse Christum Dominum

minum, cucurrique ad ipsum, ac sublatam in ulnas amplexabar, & osculabar, mirisq; modis ei ablandiebar: dum autem hoc facerem, animadverti illum puerulum esse DEUM, quod me tantopere turbavit, ut subito ipsum deposuerim humi, cum qua consternatione fui expergefata. Postridie manè dum irem ad Communionem, jamque sumptura essem sacram Hostiam, videbatur mihi puerulus ille præcedentis noctis amplecti meam animam, unde in me fuerunt excitati tanti affectus amoris DEI, tantaque desideria, ut ijs colliquefcerem; quia verò putabam me tantam vim, si ea diu duraret, non posse sustinere, dixi DEO, vellètne me hinc ad se transferre? sed Divina Majestas mihi respondit: Anima, nequaquam: non enim explevisti, quod tibi est faciendum. Triduo, vel quadriduo non poteram istum infantem dimittere ex meo corde, habens animam unitam, atque conglutinatam cum DEO, & quotiescunque recordabar pueruli, exardescabant affectus tantâ vehementiâ, ut, si duravissent, non fuisset illis ferendis.

Hæc duo mysterijs plena somnia habuit ista famula DEI in suis initijs, quorum affectus tam admirabiles eorum præbent testimonium, quòd fuerint Divina; quia illos nec natum, neque demon possent excitare,

§. II.

Quales fuerint apparitiones in Vigilia.

Plerumque tamen ista apparitiones contingebant in Vigilia, cum vacaret orationi, & esset collecta, habens animam vehementer flagrantem amore DEI, ac desiderijs ipsi placendi. Tunc spiritus elevabatur ad videnda mirabilia, quæ illi DEUS manifestabat. Et hæc ipsi quandoque videbantur representari in eodem loco, in quo orabat, alias ubi fuerunt peracta, ut est Stabulum Bethleemiticum, mons Calvaria; subinde in alijs remotis, ac diversis locis, sed accommodatis rei, quæ exhibebatur; & interdum abripiebatur ad Cælum, in quo raptu modo in se deprehendebat indicia corporis remanentis eo loco, in quo versabatur, eò quòd ex-

periretur aliquam respirationem, vel quòd se aliquantum moveret; modo verò non sentiebat, an ibi corpus remaneret, an abiret unà cum spiritu, quidve cum ipso ageretur, ad eum modum, de quo locutus est sanctus Paulus dicens de suo rapto: In corpore, vel extra corpus, nescio, DEUS scit. Tamen ita disponebat DEUS (quòd suæ familie gratificaretur) ut isti imptus fierent ijs locis ac temporibus, quibus non animadvertentur ab alijs.

In his vifitationibus DEUS semper communicabat speciale lumen anime ipsius, ut perciperet, atque intelligeret ea, quæ illi manifestabat, præsertim verò ipsummet admittendis modis videret & cognosceret, jam ut est DEUS, & secundùm Divinas ejus perfectiones, ac proprietates Personales; jam modo quodam purè spiritali, & intellectuali; alias autem videbat Personas Divinas in specie aliqua humana, in qua solent depingi, ita tamen, ut bene adverteret, corpus assumptum à Persona Patris, vel Spiritus sancti, non esse verum corpus humanum, sicut Filij DEI, quem ut hominem innumeris vidit vicibus; & quamvis semel, iterumq; dubitaverit, an ipsum non conspexisset oculis corporeis, ordinariè tamen illum semper videbat oculis tantùm anima speciali lumine collustratis, in quo se ei videndum exhibebat jam ut infantem, jam ut crucifixum: plerumq; tamen comparebat in sua propria specie, & statura viri adulti, exhibente autem triginta triu annorum, qualis est in celo, quæ non est multum proceri, neque parva, sed bene proportionata, & quamvis ipsum diversis vicibus viderit indutù elegantissimo ac admirabili vestitu, is tamen ordinariè erat honestus, coloris ferruginei, seu cerulei obscurioris, protensus ad pedes instar talaris togæ, seu vestis interioris, antèriùs clausæ, qualem gerunt nonnulli Ecclesiastici; supra illam verò gestabat quoddam quasi pallium, ejusdem coloris, brevius dictâ togâ, & carens collari, applicatum humeris, quâ parte erat valde latum: apparebat autem ad collum, & aperturas manicarum quiddam quasi lineum, nitidissimè candicans: capillum habebat desluentem usque ad humeros, in medio discriminarum, & in capite quoddam quasi diadema.

ex auro purissimò: atque in his omnibus præferebat tantam auctoritatem ac maiestatem, ut abundè ostenderet, se esse tam verum DEUM, quam verum Hominem: atque in primis, in Divino ejus vultu resplendebant undiq̃ quidam Divinitatis ac potentia, & infinitarum perfectionum, adeo ut cum quadà ex primis vicibus illum eo modo conspexisset, dicat, quòd sibi visa fuerit contremiscere, demiseritq; præ verecundia oculos, propter Divinam ipsius presentiam, neque scriberit, quid sibi esset dicendum aliud, quam: Ah, mi Domine, ò Majestas! Et quia hæc visio est intellectualis, non semper potest, pro solo suo libitu, intueri illius vultum, vel videre vultum manuum, nisi in ea specie, & modo, quo illa cælitus acceptum lumen illi exhibebat, quòd se accommodat affectibus, quos reperit in anima, vel ad quos in ea excitandos datur. Unde quando prædominatur affectus reverentia, & propria confusionis, demittit vultum, quando vero amor & confidentia, tunc illum erigit ac attollit. In istis apparitionibus sæpius ipsi loquebatur DEUS, non voce sensibili, quam percepisset auribus corporis, sed voce internâ, cum primis distinctâ & clarâ, quam percipiebant aures animæ. Loquebatur illi verba pauca, gravia, & sententiosa, dicebatq; talia, quæ plena erant infinitâ Sapientiâ ac Bonitate illius Domini, qui ea proferebat; præterquam quòd in ipsis nihil reperiretur dedecens auctoritatem & gravitatem Divinæ ejus Personæ. Aliàs (& hujusmodi colloquia erant ordinaria in oratione) illam alloquebatur, non exhibendo se illi presentem, sicut fit si quis audiat alium loquentem in tenebris. Quotiescunque ipsam Christus Dominus affabatur, certo utebatur vocis sono sibi proprio, adeo ut mihi sæpe diceret, quòd illum nõsset ex vultu & loquela, sicut amicus solet cognoscere eum, quo cum multum versatur: & quòd est amplius, quando ipsum aliquoties vidit scribentem ea, quæ deinceps referemus, dicebat, se etiam discernere formam & figuram characteris; quandoquidè, tam in loquela, quam in characterè, reluceret certus quidam modus Divinitatis, & maiestatis ipsi propriæ. Exempli loco erit prima earum apparitionû,

quæ illi contigerunt vigilanti, quæ ipsa in suis scriptis refert his verbis:

Dum quodam die adessem Sacrificio Missæ, dedit mihi DEUS, sub elevatione sacræ hostiæ, lumen internum, cum quò vidi existentem sub illis speciebus sacramentalibus Majestatem DEI, & Hominis veri: aspiciebam illum ego indigna & miserabilis, & Dominus pariter nos aspiciebat ibi presentes, pauperes creaturas suas. Cohorrescebam, dum Dominum Majestatis, & nos miserabiles, sub eodem viderem tecto, dicebamq; intra memet ipsam: *Tua Majestas, & nostrum vilitas!* atque id me diu tenuit attonitam. Finito Sacro discessi, & Dominus mihi ter quaterve obviam venit, collocando se ante me, & postquam coram me aliquamdiu stetisset, disperebat; eratq; tantum meum solatium, quòd capiebam ex ejus presentia, ut nihil mihi ulpam præter DEUM meum ac me videretur existere, vellemq; ipsum per omnem vitam sequi: quando vero abibat dicebam: *Heu me miseram, quæ procul dubio Dominum meum offendi, ut propterea ab illo sim derelicta!* Plorabam cogitans, ita se rem habere, & proponebam, quòd ipsum non essem amplius offensura. Hinc sum majorem assequuta istius Domini cognitionem, quam prius habuerim, ideoque illi magno affectu dicebam: *Bonum meum, etiamsi te non noverim, bene tamen te novi, & quamvis te non videam, bene te video; & mirabar infinitam Christi Domini sapientiam in se occultando, atque manifestando animæ, quæ etsi ipsum re verâ cognoscat ac videat, non videtur tamen sibi illum cognoscere aut videre, quandoquidem multò plus est quòd illum latet, quòdque experitur, & nescit explicare.*

§. III.

De varietate, frequentia, & præstantia istarum apparitionum, ac de bonis, quæ operabantur.

Juxta hujus visitationis modum continuabantur ceteræ, usque adeò frequentes, varia,

*ria, & præstantes, quoad tum res, qua illi in
ijs revelabantur, tum modum revelationis,
ut illa ipsa obstupesceret, & contremisceret
ad acceptandas tantas gratias.*

Quadam vice, *inquit*, postquam me visitavisset Christus Dominus cum sua sanctissima Matre, dixi illi: O Domine, non sum digna tantis gratijs. Dominus autem mihi respondit: Nunquid non ponderabas in hesternis meditationibus infinitam Potentiam DEI, ipsiusque immensam Bonitatem, & quomodo conferat tantas gratias, tam dignis, quam etiam indignis? quo responso habito conticui, dixi tamen illi secundo: O Domine, qualia sunt ista adeo magna & extraordinaria, quæ mihi dicuntur, ut vix similia legantur contigisse Sanctis? atque, me mulieram! ego non sum Sancta. Respondit Dominus: Ergone mea Potentia est alligata solum ad id, quod feci? quibus mihi verbis multo amplius indicavit, quasi diceret: Mea Fides & mea Lex est immutabilis: in reliquis autem nemo est, qui mihi præfigat terminum, quò minus præstem gratias, pro meo libitu.

Aliàs cogitans de eximijs gratijs, quas mihi Dominus conferebat, dixi illi: Domine, quis unquam crederet, tantas, ac tam mirabiles gratias & favores, quibus me cumulas? Responditque mihi Dominus: Quare non crederentur? nonne fuit majus meum & Bonitatis meæ ac Misericordiæ opus, quòd sim factus homo propter homines, & tantum illorum causâ fuerim passus, quòdque vobiscum manserim in Sacramento Altaris? Si hæc tam admiranda opera feci, nunquid non potero minora: atque si illa Fide creduntur, quæ ratione non credantur ista? Simili modo me longè amabilius, aliâ vice pacavit decumbentem in lecto præ magna debilitate, quando dignatus est apprehendere, meum brachium, ut me elevaret, eò quòd me ego non possem erigere. Cumque eo demersa profundissime in abyssum propriæ cognitionis, illi dixissem, me non cõsentire (ut mecum taliter agat) & alioquin me penitus perditum & pessundatum iri,

neque id à me posse sustineri, Dominus mihi dixit: Adverte, quid est amplius, an quòd hoc tibi faciam, ut me adjuvante, confurgas, an verò, quòd maneam in Sanctissimo Sacramento, ut me fumant ij, quos ego amo, propter quos etiam sumor à tot malis Sacerdotibus? His, aliisque verbis mihi suaviter dictis me disposuit ad consentiendum, ut à Divina ipsius Majestate adjuvarer, unde intellexi suavitatem DEI, in disponendis ita auxilijs, ut faciat, nos velle id, quòd antea nolebamus, salvâ hominis libertate.

Hunc in modum me Dominus tam frequenter invisibat, ut aliquando mihi diceret, non esse multum, si quotidie semel invisantur amici, & agebam interdum tam familiariter cum Divina ipsius Majestate, quam si de rebus meæ animæ conferrem cum aliquo Patre spirituali, avidissimo mei commodi ac solatij, & ille mihi ad mea quæsitâ responderet, meque quam affabilissimè instrueret, vel quasi idem Dominus se gereret instar Parentis addictissimi suo Filio, eundemque amanter alloquentis, & manifestantis ipsi sua secreta, ac respondentis propositis sibi ab eo dubijs. Et verò manifestabat mihi interdum sua secreta, ac si librum coram me aperiret, ut illa in eo legerem.

Hoc fiebat in imitijs, ut ipsa ostendit, dum suam narrationem his verbis concludit: Ex eo tempore cœpi rejicere ac deserere ex corde omnia propter hunc Dominum, & odio me ipsam prosequi, ac amare Divinam Majestatem ex omnibus viribus meis, optando & fatagendo, ut in universis exquerer ejus voluntatem, utque illum honorarent, & ipsi servirent omnes creaturæ; quò factum est, ut illius gratiâ adjuvante, (ad cujus gloriam hæc omnia recensentur) pervenerim ad eum statum, ut non jã in me, sed in Christo Bono ac Domino nostro viverem, amando, quam possem maximè, quòd ipse amat, & abhorrendo similiter ab eo, à quo ille abhorret, idque sine difficultate, & repugnantia: jam enim caro quasi subiecta est Spiritui, nec fertur, vel propendet magis in quidquam aliud, quam in id, quod

quod ille vult. Et quamvis verum sit, me deinceps passam fuisse aliquas tentationes diaboli, omnes tamen illæ non sunt fundatæ in passionibus immortificatis carnis & sanguinis, sed proveniunt à fraudibus inimici, qui cum strepitu armorum ac tumultibus, vult quasi extrinsecus animam invadere, DEO id, ex incomprehensibilibus suis iudicijs, permittente. Quod quidem attinet ad diabolium, ingrederetur in illam, si posset, per qualemcunq; tandem portulam, quam inveniret apertam: sed omnes ipsius insultus, strepitus, ac tumultus semper, quæ est Bonitas & Misericordia DEI, recidunt in nihilum, majorémq; adferunt molestiam & crucem animæ, quàm notabile periculum. Iste est status, in quo me Dominus DEUS per suam tantum misericordiam modò tolerat, & ego fruendo dictâ pace & quiete, amandòque DEUM ex toto corde & omnibus viribus, velut oblita omnis rei, quæ non est ipse, & omnem in illo spem reponens, vivo simul in magno timore, metuens, ac tremens in omnibus meis operibus, & verbis, atq; cogitationibus, dum semper omnia persequor, nihilque prorsus mihi ipsi fido, sicut qui semel iterumque incidit in dentes lupi, ubi didicit vivere cum timore ac sollicitu-

dine. Hæc namque magna bona elicit, & potuit elicere magnus Magister ac Dominus noster, ex illis malis & peccatis meis, in quæ ex mea miseria, & ipsius permissio-
ne sum prolapsa. Atque ita, cum experientia, quam habeo istarum mearum miseriarum, & cum lumine, quod meæ animæ dat DEUS, pro illis cognoscendis, sum, & conservor à Divina Majestate bene sedens in isto cognitionis propriæ furore, ut, quidquid cruciat & affligit, vix sentiam; imò mihi facilè videatur & leve, sustinere quidlibet, dum confidero modicum, quod patior, comparatum cum tormalis, quæ pati mereor: in hoc præterea loco cognitionis mei ipsius, qui est ad eò proprius locus meus, invenio DEUM meum, & illum cognosco ac amo, tanquam Bonum infinitum meum: atq; ipse quærit me miserabilem, meque visitat & consolatur, ac revelat mihi sua Divina secreta, & illuminat me, ut cognoscam ipsius perfectiones, communicans se hæc ratione parvulis, qualis sum ego, eò quòd delicia ipsius sint, esse cum filijs hominum, sicut Divina Majestas dixit, & experientia ostendit: quapropter adoretur, & glorificetur in æternum ab omnibus suis creaturis. Amen.

CAPVT IV.

Quomodo DEUS etiam voluerit, ut nonnulli Angeli ipsi assisterent, pro ejus custodia, & quidam Sancti illam sæpe visitarent, pro ipsius solatio, manifestaveritque illi præstantiam, suavitatem & securitatem viæ, quâ ipsam ducebat.



*Q*UOD DEUS vellet famulam suam ducere vijs internis, ac tam novis & inusitatis, voluit illi quoque attribuire aliquos Angelos speciales, qui ipsam per illas ex officio sibi proprio, ducerent, & comitarentur, atque ex singulari gratia ei assisterent, non solum invisibiliter, qualiter assistunt cæteris fidelibus, verum ita, ut illos videret ac audiret oculis, ac auribus animæ.

Et quia ubique eorum fit mentio in hac Historia, oportet modò aliquid de singulis dicere.

§. I.

De Angelo Custode.

IN primis ab eo statim tempore, incepit se illi spectandum exhibere Angelus Custos, in specie decennis pueri, mirè formosum ac splendidum, & candidâ veste indutum, præseferens in vultu magnam majestatem ac
D posera-

potentiam, quam aliquando ex peculiari
 DEI illuminatione intellexit esse tantam,
 ut ipsi videretur sufficere ad evertendum
 mundum. Unde usque ad hunc fuit consternata,
 ut multis diebus aliud non ageret, quam in-
 tra se ipsam diceret: Si unus Angelus tantā
 est præditus potentiā, quantā iste, quem
 vidi; qualis erit potentia Domini Angelo-
 rum? Cum autem ipsi aliā vice comparu-
 isset eleganter vestitus, atque illa præ mode-
 stia nollet ipsius vultum intueri, dixit ei:
 Siquidem me non vis aspicere, DEUS te il-
 luminabit, ut videas meam fortitudinem.
 Et subito illi apparuit instar muri cujus-
 dam fortissimi, quem nulli globi possent per-
 rumpere, non secus quam si forent strumini:
 talis, dixit tum Angelus, est nostra potentia,
 pro custodiendis hominibus, ac defendendis
 contra demones. Cum hac potentia, & non
 minori sollicitudine, atque cum advenabat,
 ut ipsam custodiret, ac tueretur, modo pro-
 fus peculiari, & alio, quam reliqui Angeli;
 qui ordinariē cum ipsa agebant, quodam-
 modo humano, sicut amici, aut socij solent
 secum conversari, ille verò cum imperio, &
 tanquam Hospes domus ingrediebatur, & e-
 grediebatur, exauebat utque uniuersa per-
 tinentia ad salutem anime ipsius, docendo
 illam, dirigendo, exhortando, objurgando,
 nec non castigando, quando opus erat, & per-
 agendo cetera omnia, que prudens aliquis,
 amans ac sollicitus pedagogus, potest ac debet
 agere cum puero, cuius curam gerit: ipse
 quoque specialius erit quasi minister, & in-
 strumentum DEI in extraordinarijs gratijs,
 quas illi conferbat; eratq; præterea tanquā
 depositarius, in cuius manibus & sinu depo-
 nebantur spiritualiter cimelia, quibus illam
 DEUS diuitabat, gratiarum, virtutum, ac
 meritorum, que per ea cimelia significaban-
 tur. Atque ut intelligeret antiquam esse
 hanc ipsius curam, quamvis illud usque ad
 tempus eam gessisset invisibiliter, incepit illi
 quadam vice enumerare pericula, ex quibus
 ipsam liberuissent ab infamia, eo quòd illam
 diabolus iam tum persequeretur: Non me-
 ministi, agebat, quando adhuc puella vo-
 lebas aliquid extrahere, quod tibi cecide-
 rat inter grandes lapides, unum illorum
 ruisse, qui supra te labebatur? scias, velim,

ipsum fuisse motum à diabolo, ut te ma-
 ctaret, sed esse à me detentum, quamvis
 tibi læserit digitos, cuius rei signa etiam nū
 in illis habes: neque recordaris, te, cum
 aliquando conscenderes quædam præcipi-
 tia, fuisse proximam casui? Ecce ego te
 erui ex eo discrimine. Atque hunc in mo-
 dum illi reconsebat beneficia, que ei præstite-
 rat postea in proVectiore ætate, in qua ple-
 runque, dum ipsa pateretur persecutiones
 & molestias, quas illi demon procurabat, ma-
 gnā virtute pro ejus defensione aggrediebat
 tur istum potentem hostem, donec illum eri-
 peret ex illius manibus.

Denique (inquit illa) præbitis aliquan-
 do indicijs magni gaudij, mihi dixit: Ec-
 ce, mihi incumbit, animam tuam addu-
 cere ad conspectum DEI. Cum autem
 ego penderelem lætitiā, quam præfe-
 rebat, & modicum illud, seu nullum à
 me præstitum DEO obsequium, nec non
 multa à me commissā peccata, respondi
 ipsi: Quomodo creatura tam indigna cõ-
 parebit coram suo DEO?

§. II.

De alijs quatuor Angelis, quos
 ipsi dedit DEUS defensores
 ac socios.

Cum in dies auferentur ipsius miserie ac
 certamina, & infirmitates ac dolores,
 auxilij pariter DEUS sua auxilia: quia pro-
 cedente tẽpore (circiter quadagesimo quinto
 anno etatis) illi attribuit alios quatuor An-
 gelos, qui ipsam custodirent, eique semper as-
 sisterent instar contrubernaliū, quod ipsa
 humiliter imputabat sue proprie imbecillita-
 ti, dicens, eam esse majorem, quam reliqua-
 rum animarum, ideòque illi DEUM provi-
 disse de majore numero Custodum, tanquam
 magis indigenti his auxilijs; & postea refert
 speciem, in qua illos initio videbat: Agno-
 sco, inquit, sentio ac intelligo, peculiariter
 à DEO illuminata, semper mihi adesse
 istos quatuor Angelos; atque licet eos non
 videam ordinariē, sæpe tamen ipsos video,
 occurrentibus mihi occasionibus, & ne-
 cessitatibus naturalibus, quales sunt, dum
 mihi est surgendum ex lecto, quod à mul-
 tis

tis annis non possum facere absque speciali auxilio, & illi me suis manibus eleuant: tunc autem illorum conspectu tam diu fruor, quàm placet DEO, ut ipsos videam præsentes eo tempore, quod modò est longius, modò breuius. Video etiam illos, & ipsi me eodem modo iuant, quando sum valde debilis, & me non possum mouere in lecto. Interdum accidit, ut dum comedo, vel aliud quid simile ago, me intueantur cum amabili quadam cura, ac attentione, & applicatione tanta, ut videantur inusitato amore de me folicitari, deq; meis, quantumvis exiguis, necessitatibus. In supernaturalibus ipsos video, quando me iussu DEI aliquoties corripunt, vel curant quædam mea vulnera, aut morbos, & quando mihi dæmon, actus in furiam ac rabiem, vult inferre aliquod malum, vel nocumentum: tum quoque video, quomodo me defendant & liberent, quavis subinde DEUS nolit, ut illos tali occasione videam, quò plus patiar. *Quod hic asserit, fiebat in principio; deinde enim illos propè semper poterat pro libitu intueri: Duo erant specie tenus majores, duo verò minores, ad eum modum, quo puer decennis excedit septennem. Vestis ipsorum erat tunica protensa ad pedes, coloris violacei, supra quam habebant aliam instar Dalmatica cum suis manicis, qua pertingebant usque ad genua; super istam autem gestabant quoddam quasi pallium, quod ex una parte conuolvebant sub brachio: assistebant porò illi in quatuor designatis cubiculi partibus, non nihil remoti à lecto, unus ex maioribus & alter ex minoribus, suo ordine, ad parietem proximum superiori parti lectica, alij verò duo ad parietem ipsi conjunctum, efformantes quendam quasi triangulum; Angelus tamen Custos semper comparebat ad lecti caput, ante prædictos duos Angelos. Et quia Sancti Angeli, sicut constat ex Sacra Scriptura, sortiuntur nomina ex officijs, quibus funguntur erga homines, exposuerunt ipsi sua nomina, ac proinde intellexit majorem ex illis duobus, qui stabant in una parte, vocari Fortitudinem DEI. Hoc enim significat nomen Gabrielis, quia ipsam defendebat strenuè, & conservabat à damnis, qua illi dæmon infer-*

re conabatur: minor autem appellabatur Raphaël, quod idem est ac Medicina DEI, sanabat enim ipsius vulnera, qua illi demon instigebat, & subleuabat ipsam in doloribus. Alij duo stantes in altera parte, habebant nomen conforme suo muneri, vocabanturq; Missus major, & Missus minor, utpote missi à DEO: minor illorum ibat ad omnia peragenda, qua DEO permittente, & ipso inspirante, ab eo petebat, illique commendabat, ut ad consolandos infirmos, vel iuvandos afflictos; Major erat quasi superior, & hic ibat ad expedienda majora negotia. Quamvis autem apparerent in specie puerorum, majoris decentia causâ; in verbis tamen & operibus demonstrabant sapientiam, potentiam & maiestatem Angelicam, ut apparebit ex ijs, qua de ipsis dicemus.

§. III.

De alijs Angelis, quos præterea DEUS sua famula adiunxit.

TEmpore alterius vehementis cruciatûs, inquit ipsa, mihi ob id, quod patiebar, conquerenti, respondit Dominus: Nè affligaris, sicut enim tibi dedi quatuor Angelos, ut tibi assistant, tuiq; curam habeant, ac te custodiant, addam & alium, qui tibi similiter adfit. Illa verò dixit: Hoc non, Domine, hæc non: quid de me dicent, quòd habeam tot Angelos? quid dicet meus Confessarius? Siluit Dominus, & post aliquot deinde horas venit quidam Angelus, in specie pueri duorum annorum, seq; coram ea constituit: sed ipsa se ab illo videndo avertebat, quantum poterat, & in hac lucta transiit octiduum, donec mihi eam retulisset, præcepissimque illi, ne amplius reluctaretur, sed aspiceret ipsum, sicut alios quatuor. Quod illa fecit, & iste Angelus ipsi semper assistebat. Quamvis autem appareret corpore puer, erat nihilominus mirum in modum magnanimus, & dixit illi quodam die: Etiam si appaream parvus, non est tamen parva mea potentia, cum Divina virtute; statimque conscendit quendam montem, ad cuius declivitatem decurrebat fluvius, & cum cederet quendam gestum, intel-

D 2

lexit,

lexit illuminata à DEO, quod posset illum montem exvertere, ac detinere fluvium, eâ potentia, quam ipsi DEUS contulisset; & cum ipsam interrogavissim, sciretne nomen ab illo assumptum, dixit ipsum vocari: Paranympum. Quodam die, post tolemtum diurnum cruciatum, ultra viginti horas, afflictâ exposuit manum ex toga, collocans illam supra lectum, & Angelus paulatim accedebat, ut ubi appropinquavisset, admove- ret caput ipsius manui, quâ illa retraxit. Dixitq; ei Angelus: Anima DEI, quare me fugis? Quia (ajebat ipsa) non eram ita cõposita, ut posses tam propè accedere. Intellexit autem, illum venire, quasi ad osculandam manum: sed Angelus reposuit: Nos Angeli DEI tantopere æstimamus eos, qui ipsius amore patienter & prompto animo tolerant afflictiones, ut non tantum ipsorum manus, verum etiam pedes oscularemur: & si nostra natura Angelica esset capax invidiæ, tangeremur illâ ideo, quod non possimus pro DEO pati, sicut homines. Tandem illi DEUS dedit alios quatuor Angelos, qui admirabili modo semper cum ipsa versabantur in cubiculo, quamvis illos non semper videret, sicut priores quatuor: quia ibi morabantur quasi occulti, intra quandam adiculam, constructâ ex quatuor aureis parietibus, per cujus portulam apertam apparebat elegans aula, in qua ij sancti Angeli residebant, seq; videndos illi exhibebant: subinde verò exhibant patentes mirabilia & cœlestia opem, ad illam consolandam in afflictionibus; qua de re dicitur in Libro sexto.

§ IV.

Quomodo à Beatissima Virgine, & alijs Sanctis fuerit frequen- tissime visitata.

Uterius progressa est misericordia DEI erga hanc suam famulâ, in designan- dis ipsi etiam quibusdam sanctis Cœlitibus, qui essent specialiter ejus Patroni, Advocati & Intercessores, illiq; jurarent in omnibus ipsius, tam spiritualibus, quam corporalibus necessitatibus, modis suavissimis, mirabilissi- mis, & plenè amore. Hos inter, precipua-

fuit Beatissima Virgo, quia Servator noster plurimum delectatur, si ejus Electi, quibus tantus confert gratias, sint quam addictissi- mi suæ Sanctissimæ Matri, ut ipsos hac ratio- ne provehat ad excellentem sanctitatem. Sanctissima Virgo frequenter secum adduce- bat Sanctum Joachimum suum Parentem, & Sanctum Josephum suum Sponsum, ut eam redderet bene erga ipsos affectam. Præ- terea, qui illam sæpius irvisebant, fuerunt Sancti Patriarchæ Fundatores Religionum: in primis Sanctus Pater noster Ignatius, cujus se reputabat esse filiâ; deinde gloriosus San- ctus Dominicus eque frequenter; ac tum Sanctus Franciscus mirus: atque hi tres ad- ducebant secum subinde Sanctos suarum Re- ligionum, & manifestabant ipsi eandem prærogativas, nec non alia notatu dignissi- ma, qua deinceps intelligentur. Agnosce- bat verò cœlesti collustrata lumine singulo- rum sanctitatem, ac dignitatem; atque etiam diversitatem humanorum corporum, cum qua illi comparebant: animadvertet enim, quando erat corpus verum & uni- tum anime, ut in Beatissima Virgine; & quando erat tantum apparens, sicut in An- gelis, qui sunt puri spiritus; in reliquis ta- men Sanctis videbat cum eodem lumine for- mam corporis, in qua eo modo comparentes illam adibant, esse velut ectypum corporis prop- rij, quod habuerunt, cum aliqua proportio- ne & respectu ad animam: veniebant etiam habentes vestem similem illi, quâ induebantur in hac vita; interdum gestabant vestitu- tum pretiosissimum, in quo, tanquam in spe- culo, cognoscebat præclaras ipsorum virtutes.

§ V.

Quàm præstans, sua vis, & securâ fuerit ipsius via.

Denique, ut DEUS consolaretur suam famulam, voluit ipsi manifestare præ- stantiam, suavitatem, & securitatem via, quâ illam ducebat, ad eum modum, quo Jus- to Jacob in ipsius principijs exhibuit scalam, quæ pertingebat a terra ad Cœlum, per quam ascendebant ac descendeabant Angeli, unâq; se ipsum eidem immixtum, ubi illi magna est pollicitus: quod nihil erat aliud, quam figurâ

via

via recta, per quam illam decreverat deducere.

Dum, inquit, quodam die scriberem ea, quæ mihi eveniebant, vidi ab anima mea usque ad cælum, ubi erat Divina Majestas, protendi viam rectissimam, & lucidissimam, quæ videbatur esse quidam Paradisus bonorum. Habebat ea colorem cæli lucidissimi, ac serenissimi, & constabat quasi ex gradibus utrinque clausis, ita ut, quantum apparebat, non esset possibile, quenquam per illos ascendentem ad alterutram partem cadere: tanta erat ejus soliditas. Vidi præterea, quod per istam viam ascenderent ad Divinam Majestatem desideria & affectus ardentem meæ animæ, descenderetq; ad ipsam virtus illius, & communicatio, adeò, ut summa quædam, animam inter & DEUM suum ac Dominum, atque inter hunc & illam, intercederet consensio. In utroque latere hujus viæ stabant Angeli, per intervalla, instar pinnarum, quæ ipsam vehementer exornabant, & reddebant jucundam aspectu. Cùm viderem, quàm recta & secunda esset illa via ad DEUM, existimabam, me non habere aliud impedimentum perveniendi ad Divinam Majestatem, quàm quòd non liberarer à corpore hoc mortali, & egrederer ex hoc exilio. Et quia mea anima perspectam habebat istam viam, ac ipsam emensa fuerat, atque, ut sic dicam, perambulando triverat, ideo in ea per Divinam misericordiam constituta non habebat cur metueret, quò minus ascenderet, cœptumque iter profeceretur, donec perveniret ad conspectum sui dilecti, & exoptati Sponsi ac Domini, in quo omnem suum collocaverat amorem. Propter hanc visionem cessavi scribere, & raptam in ecstasim habui oculos defixos in cælo, ac animam repletam tanto solatio & gaudio, ut cùm corpus aliquam ipsius partem, quæ in illud redundaverat, non posset sufferre, aliquamdiu fuerit effusum in risum, nec ab eo potuerit abstinere: quod mihi erat valde mirabile. In ista ecstasi perseveravi multo tempore, & mihi reddita, retinui

magnam partem gaudij, quo in illa fueram delibuta, quòdque mihi duravit multis diebus, unà cum memoria istius tam beatæ viæ.

Hæc fuit ipsius visio. Quamvis autem non scripserit illius declamationem, satis potest intelligi, quòd significaverit rectam ad DEUM viam, absque obliquis finibus; claram, absque tenebris errorum; certam, propter magnas prerogativas, ex quibus apparebat, esse bonum spiritum, cujus sequebatur ductum; cælesti conspicuam colore, absque terrenarum rerum mixtionem; undique clausam, propter securitatem, quam habebat, DEO ipsam protegente; repletam Angelis, qui illam custodiebant, etique tutum reddebant ascensum; & similem Paradiso propter abundantiam bonorum, & solatiorum, quæ in terra fruebatur, simili ei, quòd perfruuntur, qui gaudent in cælo. Quòd significabat letitia & risus, in quem tunc fuit soluta.

Unde solebat dicere, bona & solatia, ac benedictiones dulcissimas, quæ proveniunt ex conversatione cum DEO, esse quasi quasdam scalas firmissimas, pro quotidiano ad perfectiorem amorem DEI consensu, in quo, & cum quo sunt, atq; acquiruntur omnia simul bona, cujus solatia sunt tanta, ut si tantillum ex illis degustarent, qui optant bona, favores & voluptates mundi, statim hæc libenter desererent, atque adverterent, vitâ solitariam, & familiaritatem cum DEO, non esse vitâ tristem & melancholicam, uti sibi mundus imaginatur: quia DEUS est valde fidelis, per quàm liberalis & magnificus, in adimplendis suis promissis: siquidem ipse dixit, se ijs, qui omnia propter illum relinquerent, daturum centuplum, & postea vitam æternam. Non dicent se deceptos, qui illa dereliquerint, ut ipsi serviant, quamvis illi oporteat multo cum labore querere, & invenire, ut eo quis potiatur. Quòd bene est experta hæc Virgo, ideòque cùm aliquando dixisset DEO, ut istas visiones, alloquia & favores ipsi servaret pro cælo, respondit illi:

Se hic, & ibi ipsi præstaturum solatia,
& favores.

(e) * * * (20)

CAPUT V.

De propensione, quam semper retinuit, ad ordinariū modum meditandi divina mysteria, donec elevaretur, ad illa contemplanda, modo extraordinario; ac de dulcissimis colloquijs; nec non de eo, quod ipsi contigit cum Christo Domino, & ejus Sanctissima Matre.

DUabus causis attribuebat Marina viam extmordinariam, quā ducebatur: in quo manifestavit suam profundam humilitatem; videlicet in primis immense Bonitati & misericordia DEI, qui dignatus fuerit libenter ostendere in sua creatura copiosissimos thesauros suæ gratiæ; ac tum suæ extrema miserie & imbecillitati, indigenti subsidijs aded inusitatis, ne obrueretur suis malis, sed procederet firmiter & prospere per semitam virtutum, quemadmodum ipsa rem expendit, & sic descripsit:

Miserus est mei Pater Misericordiarū, ex sua infinita bonitate, & cognoscens meam imbecillitatē, ac indigentiam, nec non viam, qualis meæ animæ magis conveniret, ingressus est in illam, quasi tacite, ita ut vix audiretur, communicando illi suaviter & blandē suum Divinum amorem, suamq; Divinam dulcedinem, & illuminando eam suā luce, ut ita illustrata & correpta eo Divino igne, denuo securē & fortiter iniret viam, à qua recesserat, quāmq; ipsa tantopere timuerat. Statim autem, ac Divina Majestas illam sibi subjecerat, etsi non coactam, sed promptissimē se ipsi offerentem, occupavit ipsam, fixitque in ea suam sedem, totamque possedit. Incepit tum subito, Divinus iste Rex, & Sponsus dulcissimus animarum, colloqui ac agere, & conversari, idque ex sola sua bonitate, & altissimis ac incomprehensibilibus judicijs, cum sua paupere ancilla, quæ nunquam aliquid simile experta fuerat; neq; parū mirata est, agnoscens se indignam tali honore, & communicatione: cumq; se videret totam miserabilem ac pauperrimam, vix animum inducebat, ad tale quid credendum, nec poterat intelligere ejus-

modi magnalia, vel illa apprehendere; & propterea clamans ac tremens instar ancillæ, cui Rex ipse ac Dominus talem exhibuisset honorem, quē nique sibi esse exhibitum, vix propter suam vilitatem posset credere, dicebat illi: *Mi DEUS, mi Rex, bonum meum, numquid me forte non novisti? an ignoras, quacum tibi sit negotium?* Dic, mi Domine, utrum forsitan propter ardentem amorem, quo amas tuas creaturas, non videas ignobilitatem, ac vilitatem tuæ ancillæ, quæ non solum non meretur tales honores & gratias, sed potius digna est gravibus panis ac supplicijs. Has voces & clamores continuo iterabat miserabilis creatura coram suo dilecto Domino; sed infinita ipsius sapientia ac Bonitas, non magni faciendo istas vociferationes, quò minus faceret, quod mihi sciebat convenire, illis neglectis, jubebat me silere, & solabatur me, proponendo mihi suas rationes, plenas infinitā suā bonitate ac sapientiā, quibus me convincebat, ac subiciebat suæ Divinæ voluntati, conabaturque promoveri suam sanctissimam intentionem, peragendo in ista miserabili creatura opera deinceps referenda, quæ fuerunt talia, ut, si ex ijs scivissem proficere, pervenissem ad sublimissimum perfectionis gradum. Quia quando DEUS dignatur ducere hanc viā animam, progreditur quā facillimē, & propter abundantiam donorum gratiæ, quæ ipsi intrā unam horam communicantur, potest conficere ingentia itinera, quæ non posset tam velociter ordinariē emitteri, nec tanto cum fructu is, qui taliter non duceretur. Verumtamen, quia sicut omnibus, debilibus æquē, ac fortibus, non dantur ijdem cibi, neque eadem medicina, eò quòd hoc fieret cum eorum nocumento, & periculo, ita non expedit omni-

bus

bus animabus, incedere viâ extraordinariâ, sed nec etiam ordinariâ: verum, quod omnibus congruit, est via & modus, quem DEUS noster ac Pater amantissimus nobis constituit, & communicat, pro infinita Sapientia ac Divino amore, quo nos esse oportet contentos: nostrum quoq; est, diligenter nos præparare, pro obtinendis majoribus gratijs, ad ejus gloriam, si ipsi placuerit.

§. I.

ITa Marina de Escobar loquitur ex occasione duplicis viæ orationis mentalis, quâ ipsam DEUS duxit, promovendo illam ab una ad alteram. Prima via fuit ordinaria, communis ac trita, dum meditaretur & contempleretur mysteria nostræ fidei, excitando in se ferventes affectus, obsecrationes, & colloquia cum DEO: qui est ordinarius omnium modus, usurpatûr, ac docetur in Societate JESU; quem modum observavit multis annis, non absque peculiari DEI gratia, quam habuit totâ vitâ, ut non distraberetur in oratione, ad quidquam diversum, ab eo, quod agebat, quamvis in illa tribus horis continuis perseveraret; multò verò magis, quando ipsam elevarit, ad modum extraordinarium orationis, in qua illam Dominus DEUS, absque ratiocinationibus, celesti lumine illustrabat, & ei revelabat Divina mysteria; unde fiebat, ut præsentem semper haberet DEUM, essetq; adeò dependens ab hoc summo Bono, & cum ipso unita, ut non diverteret ad alia: undè factum est, ut dixerit, se magis vivere cum DEO, quàm secum, seque habere corpus in hoc exilio, instar aselli, haustum, seu rotam aquariam, calcantis, cui eruantur oculi, ut non videat, ubinam ambulet. Alias verò mihi dicebat, se vivere, quasi duplici vitâ, unâ humanâ, conversando cum domesticis, ac alijs, qui ipsam alloquebantur; & alterâ superiore, acsi degeret in altero mundo, conversando cum DEO, & Angelis ipsius, ac Aulicis celestibus. Atque, cum ejus oratio esset tam continua, invitabatur ab illa DEUS, ut ipsam frequenter extraordinario modo visiteret. Quia verò Marina, propter suam timiditatem, & obtinendo indignitatem, refugie-

bat istas visitationes, dixit illi Divina Majestas quodam die: Ecce, quot horis tu coram me perseveras; ergone sim ego tam austerus, & morosus, ut non convertam ad te oculos? Nihilominus etsi hæc viâ incederet, ducta à suo DEO, desiderabat, quantum emt in ipsa, insistere viâ ordinariæ, ac tritæ, quæ est securior, & libera à magnis periculis ac fraudibus, quæ reperiuntur in altera: & quoad hoc ipsi acciderunt aliqua notatu digna ac proficua, quæ illa ipsa sic narrat.

§. II.

SCivi, peragi ab hominibus Societatis quotannis exercitia spiritualia more consueto, per octo, vel decem dies; habuique etiam desiderium ijs vacandi, ut illud tempus impenderem meditandæ vitæ Christi Domini. Approbavit id meus Confessarius, sic tamen, ut propter meam debilem valetudinem moderaretur tempus orationis. Cùm illa inchoavissim, vidi venientem Sanctum quendam Angelum, magnâ præditum majestate, quem non novi, nam illum nunquam videram; & quia sciebam, me esse indignam, ut Angelus tantæ potentiæ me visiteret, verè cundabar, vixque ipsum audebam aspicerè. Quod ille videns dixit mihi: Ego sum Archangelus Gabriel, & venio, ut tibi adferam quoddâ nuntium à Beatissima Virgine, Domina nostra. Valde obstupui, & expavi, dixique ipsi: Sancte Angele, rogo te, ut me prius permittas aliquamdiu de re tanti momenti agere cum DEO. Respondit, se esse contentissimum, atque ita ipsum relinqui, quasi non adesset, meque contuli ad DEUM, & intimè commota, ac metuens acceptare tantam gratiam, dixi illi: Domine mi ac DEUS mi! qualia sunt ista tua tam admiranda & magna opera, quæ facis, ac vis facere in ista miserabili, & indigna creatura? Vide humilitatem meam & vilitatem, ac miserere mei, fiatque in me omni modo, & in rebus omnibus tua sancta voluntas, ac ejice ex anima mea omnia, quæ illi non sunt conformia. Respondit Divina Majestas: Bene dicis: audi, quæ tibi dicentur. Tum fui

fui coacta me convertere ad sanctum Angelum, & prostrata ad ipsius pedes, quam reverentissimè audiivi ipsius nuntiū, quod erat hujusmodi: Sacratissima Virgo Domina nostra dicit, gratum sibi fore, si exequuta fueris, quod cogitavisti, visitaverisque sanctam ipsius domum Monasterij, quod ab ipsa nomen habet, Monialium Sancti Dominici. (*Est autē illud, quod Vallisoleri vocatur Matris DEI, ubi erant nonnullæ Moniales, quæ cupiebant ipsius alloguium.*) Ad quod, cū mihi non videretur esse quidquam grave, respondi, me id libenter facturam, quamvis parū, vel nihil alijs prodessem. Deinde mihi Angelus dixit: potissimam sui adventus causam esse, ut mihi nomine illius Magnæ Dominae diceret: placitura plurimū Exercitia, quæ constitueram peragere, si, quod proposueram exequerer, exercendo intellectū; gratissimāsque illi futuras meditationes de perfectionibus Divinis, & sanctissima Vita ac Morte Christi Domini, & infinitis bonis, quæ per eundem Dominum nobis fuerunt præstita: significare enim ipsam mihi, se esse, ac fuisse, quasi Patronam & Fundatricem illorum sanctorum Exercitiorū Societatis, seq; etiam fuisse Auxiliatricem ac tanquam Magistram Sancti Patris Ignatij, ut taliter fierent; & istud opus inchoatum esse in Societate, atque etiam se, tempore & annis vitæ suæ, fuisse continuè his sanctis Exercitijs occupatam.

Hæc revelatio fuit facta isti Famule DEI, ad approbandum & collaudandum communem orandi modum, adhibitis meditationibus, non tam, ut ipsa semper ei insisteret, quam, ut illum doceret alios, ac permoveret ad eundem insistendum, quamdiu illis DEUS non communicaret alterum sublimiorem, quemadmodum ipsi communicavit: atq; in hæc rem addidit, quod illi cum Divina Majestate accidit hunc in modum.

§. III.

Appropinquante, inquit, Solemnitate Natalis Dominici, vehementer desiderabam, ut DEUS modicum instrueret meum intellectum, ad ruminandum &

meditandum aliquid de altissimo Mystero Incarnati Verbi Divini, & Adventu ipsius in mundum, eò quod me Divina Majestas ad id, pro sua Misericordia & Sapientia, multis diebus aliā viā duceret, conferendo videlicet meæ animæ peculiare lumen, ad cognoscendas ipsius veritates, ac Mysteria, & per illud, ipsam inclinando & movendo ardentibus desiderijs, exequendi Divinā ejus Voluntatem, nec non inflammando magno sui amore. Quod quanto fit ampliūs, tantò minus speculationis habet intellectus, qui tunc esse videtur sopitus ad meditandum. Ego igitur optabam laborare, & humiliare tantisper intellectum ad considerationem feriorum altissimorum mysteriorum, nè semper anima panem gratis comederet, cibante illam assidue DEO, suis expensis, & apponente ipsi continuè quæcunque habet domi suæ. Placuit Divinæ Majestati satisfacere huic desiderio, & uno alterove die, mihi dedit animum, instituendi prolixum discursum, ac meditationem de hoc sublimi Mysterio, cum magno animæ meæ solatio, illuminando me, ut intelligerem ingentia bona, quæ nobis suo in mundum Adventu contulit, & magna mala, ex quibus nos liberavit, quàmque ille conveniens fuerit medium ad hæc omnia. Postquam aliquamdiu fuisset immorata isti considerationi, dixit mihi DEUS: Sufficit, nè ultrà progrediaris: & pro sua sublimissima Sapientia, dixit mihi quædam verba, propter quæ mea anima amore ipsius exarsit. In eo, ajebat, quod facis, te geris, sicut qui parat cibum, ut illum postea comedat, vel sicut is, qui disponit domum & hospitium, pro excipiendo illo, cujus ad se adventum vehementer exoptat: verum si ei, qui operosè cibum præparat, offeratur ab alio præparatus, & proponatur in mensa, non est opus, ut se magnopere ejus præparatione occupet; atque si alter dispositam semper habeat pro amico domum, etiam non habet multum, quod pareat, instante ipsius adventu, sed tantum restat, ut fruatur illius præsentia: ità, cū tibi apponatur cibus animæ præparatus, ut illum sumas, habeasque domum pro hospite adaptatam,

non

non est cur tantopere labores, sed ut vesca-
ris eo, quod tibi datur, & fruaris gratiã,
quã tibi præstat Dominus, qui venit ad
tuam Domum. Auditis his Domini ver-
bis, plenis sublimissimã sapientiã, fuit ani-
ma mea repleta singulari ejusdem amore.
Aliã vice tenebar eodem desiderio, medi-
tandi hæc Mystera, & Confessarius mihi
dicebat ea, quæ me ad id faciendum incli-
nabant: sed ultra duas horas non potui
quidquam meditari de Mystero Nativita-
tis Dominicæ, neque etiam ullo modo, vel
uno verbo, alloqui DEUM: inter quas
anxietates rogabam Divinam Majestatem,
ut me adjuvaret, illuminaretque meum
Confessarium, ad me instruendam ac du-
cendam eã viã, quæ esset conformior ipsius
voluntati. Tunc mihi respondit Domi-
nus: Cum semper sis mecum, & in mea
verberis præsentia, quid ultra quæris? Non-
ne in me sunt omnia Vitæ meæ, Passionis
& Mortis Mystera? Dic age, quid quæras
amplius?

*Ex eo, quod Dominus dixit isti suæ famu-
læ, colligitur, itã differre orationem discursi-
vã & affectuosã, ab ea, quã DEUS in-
fundit, sicut differunt, invitare ad mensã,
& invitari; excipere hospitio, & excipi:
quia prius constat nostro labore & sollicitudi-
ne; posterius autem magis est acceptare id,
quod nobis datur, quã aliquid facere, &
laborem. Quemlibet verò oportet insistere
illi viã, quã DEUS ipsum duxerit, itã ut,
quantum est in eo, propendeat ad triuã &
securiorem. Modi mimibiles, quibus illam.
DEUS in oratione edocuit, de omnibus Myste-
rijs nostræ Sanctæ Fidei Catholicæ, referen-
tur ordine in libro secundo ac tertio, ut pos-
sint & nobis pro nostro captu subministrare
materiã meditationis.*

§ IV.

Verum, nè ullus decipiatur, cogitando
istum sublimem orationis modum, con-
sistere tantum in accipiando, & non in agen-
do, intelligat, quod hæc DEI famula con-
sueverit suscipere Divinã illustrationem,
& præventã à gratia se sponte applicare, ad
instituenda ferventissimã colloquia, petitiõ-

*nes, ac orationes, subinde etiam vocales, pro-
venientes ex ardenti oratione mentali, cujus
erant affectus & fructus: atque hac ratione,
solita fuerit magnam suæ orationis partem
exigere, non absque cœlesti quadã harmo-
nia, & fervore, quemadmodum apparebit
ex eo, quod ipsamet taliter refert:*

Quando tam ardentia habeo desideria
placendi DEO, more meo, non possum
non alloqui Christum Dominum, quem
mihi ibi videor habere vicinum, & dico
ipsi: Mi Domine, quã diu differt Tua
Majestas, dare mihi tantillum humilitatis,
& alias virtutes, quas ab ea peto pro me, &
alijs. Eja tandem Dilecte mi, respice istam
creaturam tuam, quæ præ tui fame & siti
emoritur. Dilecte mi, doce me facere vo-
luntatem tuam! quod si, ut hoc mihi des,
vis & me tibi aliquid dare, non habeo,
quod dem, ut tibi sit gratum. Verum vi-
des hic meam animam, meum cor, ac
meam vitam, & hoc miserabile corpus, ut
de omnibus disponas, pro tua voluntate:
quidquid enim feceris, id ego benefactum
existimabo, modò vel unã horã exequar
tuum beneplacitum.

Aliàs illi dixi: Dilecte, ac Domine mi,
usque, quò tua Misericordia cogitat meam
animam suspendere, ut tantopere ad te
anhelet, teque desideret? Ecce, ó Salus
& Bonum in te sperantium, jam non pos-
sum amplius expectare, quia elabuntur
dies vitæ meæ, & non video impleta mea
desideria. Quamvis autem culpa sit mea,
eò quod me non disponam ad obtinendũ
id, quod mihi libenter dares, si me dispo-
nerem; est tamen etiam verum, quod
major sit tua Potentia, quã mea miseria,
ac fragilitas; quòdque possis me salvare ac
refuscitare, quamvis sim mortua; quia
non est quidquam insolitum tuæ Bonitati
ac Potentiæ operari talia, quæ operaris
quotidie: ac proinde, Bonum meum, non
est cur ultra expectes, quia advesperascit,
& advenit nox; neque cogito desistere à
petendo, quoad usque mei miseraris, à
desque mihi tuam benedictionem, & vi-
tam ac mortem tibi plurimum placentem,
cor novum & humile, atque accom-
modatissimum tuo genio, & beneplacito.

E

Alio

Alio die, dum considerarem Filium DEI ad dexteram Patris, humanā vestitum naturā, ab eo assumptā, ingens fuit meæ animæ lætitia, & conversa ad Spiritus Angelicos, dixi illis, ut aspicerent ibi Redemptorem nostrum, & viderent, assumpseritne fortè ipsorum naturam, an nostram? & utrum descenderit ex sinu sui æterni Patris in uterum Sanctissimæ Matris, vixeritq; triginta ac tribus annis inter homines, sustinendo tantos labores, persecutiones, & mortem Crucis, pro ipsis, an pro me? Abreptā eā suavitare, quam experiebar in istis considerationibus, destituebar quasi sensibus, donec paulò post sentirem fatigatum caput. Tunc me converti ad solitum meum modum agendi cum Christo Domino nostro, DEO vero ac Homine, considerando ipsum illic præsentem, & cœpi alloqui Divinam ejusdem Majestatem, dicendo illi: Dilecte mi, & mi Domine, ego eram surda & attollebam vocē, ut me exaudires; eram cæca, & invocabam te, ut me illuminares; eram tota leprosa, & clamabam ad te, ut me sanares; tu verò Bonum meum, fingebas te surdum, quasi non audires: eram tibi importuna, & tu tacebas. Sed jam, Domine, te aliquantulum novi, quia mihi dedisti tantillum luminis, & vis à me cognosci viscera misericordiæ tuæ, ut mihi bene fa-

cias, liberēque me ab hostibus meis. In his, & alijs, mihi DEUS manifestabat suam magnam bonitatem, ut illum ponderando consternerer, & sentirem, me deficere viribus. Intereā Dominus modicum recedebat, & paulò post iterum percipiebam idem Divinum lumen; multumque confidebam in ipsius misericordia, quā mihi esset indicaturus viam suæ voluntatis: quod ego adeò exopto. Advertebam præsentem DEUM, itā ut mihi nunquam viderer desistere ab ipso, his corporeis oculis, intuendo, & sentiebam novum quoddam desiderium, videndi hoc Bonum, & hunc Dominum meum, neq; tamen id audebam ab ipso petere, præterquam, ut mihi daret humilitatem, & faceret mecum, quod veller: cū namq; ipse voluerit ostendere suam magnificentiam in tam vili & abjecta creatura, quā sum ego, ad suam gloriam; non decebat, ut imperarem in aliena domo, sed gererem me humiliter, & peterem illius gratiam.

Hæc & alia hujusmodi colloquia, quasi semper in principio orationis instituebat, instar olla bullientis, & egerentis per os aquam, quæ in ea continetur. Hujus generis adferemus multa in capite septimo & sequentibus, in quibus est videre multos discursus, absque discursu; & multas meditationes, absque meditatione.

CAPUT VI.

Qualiter illam DEUS simul duxerit per viam patientiæ, ut toleraret turbationes ac afflictiones. Et de modo, quo eam exercuerit internis crucibus, in ipsius initijs.



Summa via, quā DEUS duxit Venerabilem Virginem Marinam, excellentiā fuit eā, quod extraordinarij ipsius favores ac solatia, hæcenus insinuata, fuerint permixta extraordinarijs crucibus & afflictionibus internis: eò quod prius illud absq; hoc altero non esset solidum, nec perfectum; posterius autem absque primo non esset in hac vita mortali tolembile: ac propterea cū

Sapiens dixisset, quod ostenderit DEUS Justo Jacob suum Regnum in scala, de qua fuit sermo, addidit, quod ipsum honestaverit laboribus, dederitq; illi certamen forte, ut vinceret, disceretque experientiā omnium potentiorē esse Sapientiam; siquidem magna solatia in oratione dantur, ad animos tolerandas magnas afflictiones. Hoc ipsum Dominus dixit isti suæ famule in ejus principijs, quod illa narrat hunc in modum:

Dum conspexissem Beatissimam Virgineam

nam

nem eam præditam pulchritudine, cum qua mihi solet comparere, exhibitique mihi fuissent ab illa singulares fauores, non absque ingenti gaudio meam animam, dixit mihi Christus Dominus, præ se ferens quandam quasi indignationem: Vidistine id, quod contigit? Scias, velim, hoc tibi concessum esse, ut ita posses supportare, quod brevi videbis, neque enim id tibi datum est gratis. Cæpi subito timere, & cogitare, quidnam esset eventurum, quod essem passura; anne futura fortassis esset aliqua vehemens tentatio? & contremiscens idcirco, dixi: Considera, Domine, meam imbecillitatem: patiar, quidquid volueris, modo te non offendam. Hoc pacto enim ero contentissima, etiam si patiar mille mortes. Respondit autem mihi Dominus: Non erit opus tot mortibus, sicut existimas. Paulo post Divina Majestas suscitavit in mea anima quædam, quæ videbantur exigua, cum adeo tamen profunda cognitione mei ipsius, ut præ afflictione existimarem, mihi non esse possibile ita vivere, sed crederem me expiraturam. Unde mihi Divina Majestas fuit suppliciter oranda, ut me sineret modicum quiescere; quod mihi concessit: sed statim mihi dixit: Noli nimium angere, quia hoc superabis. Ego, cum tantopere desiderarem aliquid pro DEO pati, & exequi ipsius voluntatem, quamvis mihi viderer conficienda, dicebam ingenti animo: Feri, Domine, istam bestiam, donec vindictam de illa sumat Justitia tua, eique satisfaciat. Et post modicam quierem iterum illi dicebam: Quid habes, mi Domine? Quid tibi feci, Bonum meum? Cumque adverterem ipsum velle, ut amplius paterer, timebam, non dolores, sed defectus, in quos propter meam debilitatem poteram incidere, dicebamque illi: Domine, per tuam misericordiam, considera meam magnam misericordiam; tace, non time. Fui hoc modo constituta tribus vel quatuor horis, inter afflictiones tamen non cessabat DEUS mihi exhibere suas gratias, tribuendo mihi tantum lumen ad intelligendas perfectiones ipsius sapientiam, & incompre-

hensibilia iudicia, ut me repletet admiratione tantus Rex, tam Magnæ Majestatis, dum ita se mihi manifestaret. In eo statu mihi dixit Divina Majestas: Adverte, hæc itur, inter tenebras & lucem. *Ista visio refert quoddam specimen mixtura solariorum & afflictionum, quam habuit via, quæ DEUS duxit Venabilem Marinam.*

§. II.

Modum, quo DEUS conficiebat hæc Meruces internas, permittendo etiam, ut Demon cooperaretur ad illas fabricandas, declaravit ipsa fusius his verbis:

Scio verè dicere, eam esse Sapientiam hujus Domini, in minimo bolo aliquo tam dissimulanter præparando, ut, qui illum videret, diceret, ipsum posse absque magna difficultate deglutiri, ubi tamen est impositus ori, opus est speciali illius auxilio, ut possit sustineri eo modo, quo proficit, & non noceat: atque ita dico, me, si nunc non est æquale afflictioni solatium & gaudium, quod Dominus DEUS dat meam animam, nescire, multumne desit, ut ipsam adæquet, vel sit illi quasi par; si vero velim declarare, quid sit, quod patior, tantum sciam dicere, DEUM agere mecum, sicut agit sapiens ac discretus medicus cum debili ac delicato infirmo, cui præbet medicinam adeo dissimulanter præparatam, quoad quantitatem, atque id quod apparet forinsecus, ut quicumque sanus illam videns diceret, facile eam posse sumi, quæ tamen infirmo magnam adfert molestiam, neque relinquit in ejus corpore, quod non alteret ac perturbet, sive jam propter ipsius malam dispositionem, sive propter scientiam Medici, qui in exigua quantitate scit componere ea, quæ talia efficiant in infirmo: ita suo modo se habet, quod mihi nunc Dominus DEUS offert tolerandum, ut videatur modicum, & facile toleratu: quando tamen sentitur ab anima, juxta dispositionem infinitæ ipsius sapientiam, est multum. Et quemadmodum prædictus infirmus, postquam superavit exiguam illam molestiam, convalescit; ita ego experior, mihi prodesse, id quod sum passus:

E 2

arque

atque sicut talis æger, quando affligitur, non habet aliud remedium, quàm patientiam, donec conquiescat humor, ita pro me nihil est melius, modò ego id scirem facere, quàm sinere, ut transeat terræ motus, qui concitatur, quando diabolus, DEO permittente, suscitatur timores, turbationes, & terribiles repræsentationes, ac scrupulos, aliâque ejusmodi, quæ jam frequentius patior, & omnia simul concitant maximum in anima bellum, ita ut ignorem, quis sit hostis, quo cum mihi pugnandum, vel cujus sint illi timores, turbationes, & scrupuli; cum enim hæc sit lingua diaboli, qui est tam callidus, ac tot præditus linguis ad loquendum, atque ad excogitandas fraudiû technas, neq; verò ipsi DEUS concedat majorem facultatem, quàm ut commoveat illam lacunam, & conturber, spissâque nebulâ obscuret animam, affligit notabiliter subinde in eo, in quo potest, & quàm sollicitissime, ac si diceret; faciamus, quod possumus, priusquam nobis ligentur manus: sed DEUS, ex sua infinita misericordia, aliquando ipsum non permittit quidquam efficere, ut inchoata via possit continuari absque lapsu, tametsi difficulter: quia metitur capacitatem, & vires futurum creaturarum, ut non ampliùs premantur, quàm possint sustinere: unde omnes possumus esse contenti eo, quod fecerit. Si parùm nobis patiendum offert, id ipsum est, quod nos pati convenit; si verò nobis offert multum, etiam hoc est, quod nobis magis expedit, quia non tam consistit profectus in patiando, si DEUS pro sua Sapientia infinita aliud velit, quàm in transfusione suæ in sanctissimam DEI voluntatem, & in nostra promptitudine, ut faciat de nobis, quid quid voluerit, sive fruamur pace, sive pugnemus, sicut ipsi placuerit.

§. III.

Hunc modum, & normam patientiæ ipsi DEUS postea, cum quadam suavi visione ita manifestavit. Vidi, inquit, longissimam supplicationem pœnitentium, & afflictorum, qui incedebant bini, duplicato ordine, vultu valde tristi & lugubri:

alij ibant onerati crucibus, alij catenis vel compedibus, aut alijs varijs insignibus afflictionum, & cruciatuum; alij verò ibant absque his signis, qui apparebant minùs afflicti; in medio ambulabant quidam Angeli, dirigentes supplicationem, & ipsis immixti, susque deque commeabant dicentes: Ulterius, ulterius. Inter hos pœnitentes, etiam me conspexi, sed absque ullo insigni, instar illorum, qui in speciem parùm patiebantur; & quia ego summè desiderabam pari multa pro DEO, affligebam propterea, atq; conversa ad Divinam Majestatem dixi: Infelicem me, quàm parùm est, quod patior! Dominus autem respondit: Falleris, nam aliqui exterius videntur parùm pati, & re verà patiuntur multum, partim propter constitutionem & complexionem naturalem, partim verò, quia ego res eo modo dispono, ut quòd est modicum, affligat multum: quo responso mihi indicavit, sic mecum agi.

Addo ego, hunc modum patiendi, qui exterius non ita comparet, sicut jejunia, cilicia, flagellationes, & alia exteriorum exercitia, quæ sanctè usurpant sancti, esse magis immunem à vana gloria & jactantia, atque à DEO per has internas suppleri alias cruces exteriores, quando desunt vires pro illis tolerandis. Quia magnus DEUS noster, Sapiens, ac Potens, quemadmodum scit consolari suos servos, internis rerum cœlestium ac Divinarum visionibus, ita illos novit affligere visionibus & repræsentationibus rerum valde horribilium, quas ipsemet ingerit spiritui, unde non exigua resultat molestia corpori; & quandoque favores sunt ejusmodi, ut simul & consoletur, & affligat, sicut fecit, quando impressit stigmata Sancto Francisco.

§. IV.

Hoc ipsum illi DEUS voluit manifestare istâ mirabili visione. Cum, inquit, die quadam versarer in mea collectione, vidi mihi vicinum Christum Dominum, qui mihi dixit: Marina accede; & cum accessissem, ostendit mihi suis genibus impositam quandam effigiem efformatam ad eum modum, quo solet pingi mons

mons Calvariae, habentem tres Cruces, quarum media erat alijs major, atque ad cuiuslibet pedem stabat unus Angelus. Non audebam interrogare, quale esset hoc mysterium; sed Dominus mihi dixit, tres illas Cruces, esse cruces meae animae, quae me illis diebus tantopere afflixerant. Media maior alijs erat crux tam ardentis & inflammantis Amoris Divini, ut eo confunderer; una lateralis erat crux profundae cognitionis, quā penetrabam meam vilitatem & indignitatem; altera verò desideriorum, & flagrantissimorum affectuum doloris, compassionis, zeli, aliarumque vir-

tutum, qui affectus ac desideria subinde adveniunt, cum tanta vehementia, ut mihi videantur cordisrumpere, debilitentque vires adeò, ut si DEUS illos non reprimeret, sufficerent ad abbreviandam vehementer vitam, vel adsciscendam mortem.

Illi verò Angeli, qui stabant ad pedem cuiusvis Crucis, erant ipsius Custodes, solliciti, nè eam gravarent aut affligerent amplius; quàm DEUS veller. Voluit autem saepe, ut illam vehementer torquerent: ut apparebit ex eo, quod de istis crucibus dicitur in sequentibus capitibus.

✠✠✠✠✠✠

CAPVT VII.

Quomodo illam DEUS fundaverit in profundissima cognitione, & contemptu sui ipsius, per varios affectus, & cruces interiores, quae inde proveniebant, quin tamen imminueretur ejus confidentia.

Vandoquidē humilitas est fundamentum vitae spiritualis, & nascitur ex profunda sui ipsius cognitione, vult DEUS ab hac inchoare progressum facturos in oratione, & exercitio virtutum. Quia verò est perexigua ea cognitio, quae acquiritur nostris discursibus, & meditationibus, communicavit DEUS Venabili Mariae aliam profundissimam, per admirandum supernaturale lumen, quo ipsi exhibebatur, quid esset, quidve de se deberet sentire, eā claritate, ut quamvis tam praeclaras à DEO susciperet gratias, nunquam tamen passa fuerit tentationem vanae gloriae: quod est per mirum, & paucis concessum.

Hac tamen profunda cognitio illi erat loco crucis adeò terribilis & gravis, ut vehementer affligeret ipsius spiritum, temperaretque abundantiam spiritualium deliciarum. Et verò ipsa tum dicebat, se, si careret tormento cognitionis propriae, victurum in continuo gaudio, sicut in caelo.

§. I.
Modum, quo haec omnia fiebant, decla-

navit ipsa in quodam suo scripto, quo reddebat rationem conscientiae suo Confessario, his verbis: Dominus DEUS, pro sua infinita Sapientia, indiderat meae animae, pro ejus bono, tam profundam cognitionem mei ipsius, ut propter illam me tantopere, & cum tali naulea, atque horrore omnium, quae habeo, & in me interius ac exterius deprehendo, vili pendam, ut saepe mihi videatur impossibile, nisi me DEUS confervet, subsistere cum tam gravi onere, quod me adeò opprimit, ac tam potenter compellit ad abyssum meae vilitatis & miseriae. Cùm autem ita me ipsam cognoscerem, frequenter me indignabundè sic alloquutus est, meritòque mihi dixit: Adesto stolidus, inconstans, & destituta iudicio, sterquilinum immundum, ac abominabile, quid agis? quomodo te geris? in quid aliud impendis omnes horas & momenta diei, quae tibi concedit DEUS, ut in illis ipsum ames, eique servias, quàm in committendos defectus, & multiplicanda peccata? Quomodo omnes decipis? Me sanè non latet, quod facis: videsis, an hoc sit verum; offendis omnes, praebesque illis malum exemplum, omnes affligis & vexas.

E 3

Erit.

Eritne tandem aliquis, inimica mea! qui te aliquando exerceat, sicut mereris? Propterea desiderabam, ut me DEUS puniret, ac ulcisceretur peccata, quibus ipsum offendebam, atque ut reperiretur quispiam, qui, ut mihi & alijs beneficeret, me concluderet, & aliquò compelleret, ubi laterem: & inter omnes quasi erubesceram ac pudefiebam, ita ut me ipsam ferre non possem; conquerebar, quòd exiguam cognitionem haberem meorum errorum, ac dicebam: Anima, tunc etiam me vis decipere, miserabilis? Ergone non possum, neque scio mala, quæ à te sustineo, aliter exponere, quàm ut, dum ijs tam graviter affligor, & illa volo explicare, sim instar comœdi, qui dicturus videtur aut facturus magna, ac post omnia animadvertitur meram exhibuisse repræsentationem, & nihil ampliùs? sic tu facis, quæ nec scis, neque potes dicere, sicut se verè habet id, quod fit in tua anima. Et re ipsa non est aliter. Cùm enim usque adeò vera sit nostra miseria, & vilitas: propria miseriarum cognitio, est quædam comica istius veritatis, quæ existit intra nos ipsos, repræsentatio.

Hoc agitur in mea anima, & solus DEUS potest dare cognitionem intellectui, ac verba linguæ, ad explicandum modum, quò ipse id facit, & exuscitat istam crucem in anima: sicut præ mea ruditate non possum intelligere, neq; exponere admirabilem modum, quò DEUS suâ infinitâ potentiâ res creat ex nihilo: scio tamen ipsius voluntatem sufficere ad quilibet faciendum; ita nescirem dicere, quomodo Divina Majestas id operetur in mea anima, ut in se est, & accidit, sed agnosco hoc ab ipso fieri. Licet hæc omnia absque ulla fictione & exaggeratione sint vera, neque sit tantum modus loquendi; nihilominus si me aliquis ex Reverentijs vestris interrogaret: Tu dicis, quòd scandalizes omnes, & quòd illis præbeas malum exemplum, atque illos decipias & fallas; dic ergo modò, si ita est, sefellistine, scandalizavistine aliquem, & præbuistine ulli malum exemplum? vel, decepistine quenquam verbo, aut opere, vel cogitatio-

ne, vel desiderio? ego verè responderem, nisi vellem mentiri: Pater, non, per DEI misericordiam! à cuius potenti & clementi manu nobis provenit omne bonum: atque ista veritas replet magno solatio animam, redditque illam quietam & contentam. Cùm autem ita sit, quomodo possunt se compati, & conjungi hæc duæ veritates in speciem contrariæ? & quis sciet intelligere, aut edisserere modum, quò DEUS id facit, vel conjungit has veritates, ita ut neutra illarum in ullo deficiat. Istud est secretum & opus Sapientiæ Divinæ, quòd anima experitur, nec tamen lingua scit explicare: ac proinde DEO, qui hoc facit & intelligit, soli relinquitur, ac animæ, quæ idem experitur; mihi verò sufficit dicere, utrumque esse verum.

§. II.

Proxim horum omnium videbimus in colloquijs ac discursibus, quos instituebat secum ipsa, atque cum DEO, & qui, sicut supra dictum est, indicabant sensus & affectus cordis, & fructus orationis, unde oriebantur, ut hac ratione ex omnibus, quæ ipsi in illa eveniebant, sumeret occasiones sui cognoscendi & humiliandi. Quadam die, ait, sesequi alterà horâ oravi aridè; sub finem tamen me DEUS inflammavit suo Divino amore, sicut solebat, ut cum magno fervore inceperim illi dicere: Ubi fuisti, Bonum meum, ac Domine mi? quid faciebas, Cor meum? ut te non potuerim videre, neque tecum ullum loqui verbum? Bene me agnosco ream, & meritò mihi esse luendum: ego verò libenter luo. Cùm hæc & similia dicerem, comparuit mihi Christus Dominus cruci affixus, sicut aliàs fecerat: vidi illum tamen subobscurè, intelligens, quòd se non manifestaret, quia non haberem sufficientes vires, pro tolerando ingenti dolore, quem mea anima ex tali visione esset perceptura; tunc incepti dicere: Ades dum miserabilis ac destituta virtute muliercula nullius momenti, semperne vis habere consolationes, & visiones, quæ tibi sint gratæ, multumq; adferant voluptatis, ac solatij animæ? ita ut, si videas tuum Dominum, debeat esse val-

de speciosus & gloriosus, atque exhibere in vultu magnum splendorem? si verò ipsum intuearis habentem vulnera in manibus, id necesse sit sic fieri, ut illa videas, quàm pulcherrima ac recentissima; si autem intuearis ejus latus apertum, hoc non aliter fiat, quàm ut ibi conspicias sanctissimum ipsius cor gloriosum ac ardens, totumque flagrans amore suarum creaturarum? quòd si illam videris parvulum recens natum, oporteat esse etiam gloriosum ac splendidum? Non video, te valere ad quidquam aliud, quàm ut à Domino tuo suscipias gratias, non verò ut facias, vel patiaris aliquid pro illo. O miserabilis, & inepta! quis compensabit tuos defectus? & quis illos tolerabit, nisi immensa tui Domini Bonitas, qui te novit, ac perspectam habet tuam imbecillitatem, & exiguam virtutem, scitque te nihil habere, nec habere posse, nisi quòd tibi præstat ex gratia: atque hoc ipsam, quòd tibi dat, malè impendis, & eo abuteris, ac semper te volutas in tuis miserijs, quantumcumque velis ex illis emergere. O vilis vennicule, animadvertite, quòd te non noscas, neque te scias considerare: agnosce te, & videbis, quid fueris, quid sis, & quid sis futura. Quia autem cum isto modico lumine, quòd tibi dat DEUS, hoc vides: quid fieret, si tibi aperiret oculos animæ, & illam illuminaret, magno lucis radio, ut te perspiceres & agnosceres? quòd quidem non facit, tanquam Pater misericors, ne deficias ob tuam exiguam virtutem, videris te, tam plenam improbitatibus & miserijs, & quia non es promerita tuis peccatis, atque contradictionibus, quibus restitisti ipsius vocationibus; neque te disponis, ut assequaris, quòd tibi libenter daret, si te disponeret. Vide, nè perdas tantum temporis, neque tibi indulgeas, nec sis otiosa: scias aliquid pati, quòd nunquam scivisti. non sis instar illius pigræ, qui, nè modicum laboraret, potius fame est mortuus: adverte, venturam tuam Dominum, & exacturam à te rationem villicationis: redde prius illi istam rationem; agnosce te, corrige te, & castiga te, neque hac in re sis pigra, aut negligens, ut possis placare tuum Dominum. Has veritates,

& alias similes DEUS imprimat animæ meæ, exclusis discursibus, & considerationibus: quia nec illi, neque istæ sufficerent ad excitandum istum affectum, & cognitionem tam demissam, & profundam meci ipsius; tantumque propter lumen, quòd mihi Dominus communicat, ut me cognoscam, usque adeò anima imbuatur hæc veritate, in eaque confirmatur, ut non possit effugere, neque evitare, quòd tam clarè videt ac sentit de se: atque dum agnosco in me tantam miseriam, existimo, estque verissimum, quòd dum DEUS toleret tam vilem creaturam, tanque prodigentem ipsius domi, quàm sum ego, & quòd illius misereatur, faciat opus unum ex maximis, & præclarissimis, quæ unquam fecit in suis creaturis. Quando autem mihi dat istud lumen, quia simul in me excitat desideria amandi sui, sibi que serviendi, soleo illi dicere: Misere mei DEUS secundum magnitudinem & multitudinem miserationum tuarum: attende bene, Domine, mi, quòd, si hoc feceris, sis facturus unum è maximis, præstantissimisque operibus tuæ Magnificentie, tuæque Misericordie & Potentie infinite, quæ unquam fecisti: Vide, mi Domine, quòd si hoc feceris, laudari te sint omnes Angeli & Sancti, quos habes in cælo, ac dicturi: Benedicatur, & laudetur Dominus in æternum, DEUS magnus, & potens, propter magnitudinem suæ misericordie, & bonitatis infinite, quia hodie fecit unum è sublimissimis operibus, & unum è maximis gratijs, quas unquam contulit suis creaturis, siquidem miserabilissimæ, maximæque ex omnibus rebelles pepercit, adduxitque illam ad se, sicut fecit alijs magnis peccatoribus. Et quia mihi videbar scandalizare & offendere omnes, supplex à DEO petebam facultatem, rogandi mecum Confessarium, ut me juberet claudi in aliquo angulo, tibi alijs non obesse, neque propter mea peccata quidquam accideret; verum DEUS mihi respondit: nolle se mihi concedere talem licentiam, sed ut hoc ipsius curæ committerem, se quippe facturum, quòd magis mihi conveniret.

Alià vice, cum per aliquot dies non viderem

derem Christum Dominum, & aliquantulum sentirem ipsius absentiam, dixi illi ex quodam amore, qui oriebatur ex intimo corde: Ah, mi Domine, & Bonum meum! quàm diu te non vidi? Cùmque mihi videretur esse quodammodo audacia, hoc dicere, ac desiderare, statim subjeci: Sed, mi Domine, non volo ego (miseram me!) desiderare, ut te videam, verum, quod volo & desidero est, ut videas me tu; & videbis, qualis sim, adeò repleta iniquitatibus & miseris. Respice me Domine, & miserere mei secundum magnitudinem miserationum tuarum; vide, Cor meum, qualis sim, tam plena amore proprio & miseris, quas ego ipsa non possum sufferre, vel tolerare, quòdque est pejus, tanta est mea cœcitas ac defectus propriæ cognitionis, ut, cùm sim infirma & vulnerata, sentiamque dolores & molestias meæ infirmitatis, non sciam nominatim dicere quid mihi doleat, sed de omnibus tantum tibi conqueri, meum Bonum, & Domine mi, quòd omnia mihi doleant, atque ita, nisi haberem talem Medicum, qualis tu es, Bonum meum, qui scit & potest suâ Sapientiâ ac Potentiâ infinitâ curare debiles & parvulos, qualis ego sum, qui propter defectum linguæ & intellectus non sciunt explicare morbum, quem patiuntur, neque ubi dolorem sentiant, jam essem mortua & sepulta: sed sicut medicus non negligit curare infantem, & adhibere suas diligentias, quamvis nesciat loqui, ita tu, mi Domine & Medice cœlestis, ac Pater omnipotens, qui scis & potes omnia, quæ vis, non me derelinquis, nec deseris. Dum ista dicebam cum summo animæ desiderio, carenti omni vel minimo defectu, qui displiceret Divinæ Majestati, vidi Christum Dominum extendentem brachia, & sejungentem manus, iisdemque intercipientem meum caput; qui mihi quàm amantissimè dixit: Vade, dabo enim tibi, quod tibi expedit, quia tu non intelligis, quid ego faciam.

§. III.

Hinc etiam fiebat, ut inter gratias & solatia, quæ consequatur à DEO,

proficeret in cognitione sui ipsius, quam quidem, unquam amorem DEI, dicebat esse fructum, quem decerperet ex arbore Paradisi extraordinariarum gratiarum, quibus affluebat, & cum quibus semper profundius descendebat in hanc abyssum suarum miseriarum: unde cum assequuta fuisset à DEO quandam prorsus inusitatum gratiam; Adeò, inquit, me profundè immergi in sterquilinum mearum miseriarum, ut cogitem & credam, summè esse meæ animæ necessarium, semper in eo manere, quia quotiescunque mihi DEUS exhibet ejusmodi specialem gratiam, precipue affectus, quem mihi ingenerat, est iste, omnique alioquin consolatio, & quidvis aliud repentè transit, quasi pertinerent ad aliquem alium: ac proinde magnam partem vitæ meæ impendo isti exercitio, cum quo mihi bene esse experior, & sum humilis, jucunda, contenta, affluoque solatio in Domino. Indè ipsum bene contemplan, indè illum amo, indè agnosco, & volo, ac desidero tantum id, quod ipse vult à me. Est propria cognitio, seu id, quod ego sum in vitæ meæ decursu experta, instar conspiciendorum vehementer augentium, ad videndum DEUM, & obtinendum id, quod anima ab ejus Majestate postulat. Indè me DEUS educit, quando mihi vult monstrare alia, & ibidem me postea relinquendo, elevat, sicut facit nutrix, quæ atollit infantem, quem deinde humi collocat, quia sic oportet fieri. In hoc denique loco operatur DEUS stupenda, & admirabilia in anima, quæ ex omni eo scit proficere, quod à DEO accipit.

Idcirco & illa sumebat occasionem ex ipsis gratiis extraordinariis, quas obtinebat, ut se magis humiliaret, & confunderetur, attribuens illas indigentia tot auxiliorum, ne periret, propter magnam suam imbecillitatem. Non est, ait, quidquam, quod me ita deprimat ad abyssum meæ miseriæ, sicut dū video DEUM hac ratione mecum agentem: atque si Divina Majestas interdum non tantopere illuminaret meam animam, quando mihi aufert omne dubium, sicne ipse, qui mihi loquitur, nescio an id crediderim: quia agnoscens, quid fuerim, & quid sim,

sim, ac factorem prodeuntem ex hoc sterquilinio, quod est intra me, ita ut ego ipsa illi non possim tolerare, aut sufferre meos multos defectus ac fragilitates, & malum exemplum, quod præbeo, erubescō & pudescō, vellēque omnes vitare, ne ullum scandalizarem. Video quoq; totum, quod sentio, esse quasi nihil, ac veluti umbram respectu veritatis, & eius, quod est re ipsa. Quod si essem à DEO compellenda, dico, quod me ita deberet alloqui: Fac pœnitentiam pro tuis sceleribus, & effunde propter illa tuum sanguinem; jejuna in pane & aqua; dormi in terra, & perage alia huiusmodi opera. Hoc mihi omnino conueniret: video tamen, quod, etiam si DEUS mihi ob oculos ponat omnes meos defectus & peccata, unaque modicam pœnitentiam, quam egi, me nihilominus consoletur, & confortet dicendo: bene esse, si non possim agere pœnitentiam, eò quod ipse pro me passus fuerit, profuturaque mihi sint ipsius merita, si ego unà fecero, quod potuero. Quando verò ipsum audio dicentem: Comede, & bene tibi sapiat, hoc enim tibi conducit; ac alia huiusmodi, expavescō, ut quæ prædita sum per exiguam cognitione Sapientiae & iudiciorum Divinorum, quoad vias, quibus ducit suas creaturas.

Aliâ vice, metuebam comparere coram DEO meo, eò quod mihi Divina Majestas merito diceret: Quid fecisti? Quantum tibi dedi stolidam, mente capta, & insensata? dedi tibi dona pretiosissima, ut cum illis mihi placeres, & tu mihi talia rependis, lacerrimum mendicabulum, miserabilis, & absurda? quomodo fuisti usa tot gratis, quas à me accepisti? tum nesciebam quidquam dicere, sed confidebam in miserationibus DEI mei: quia considerans quantum acceperim, & quam parum reddiderim pro mea obligatione, inuenio me quasi hærentem in alto puteo miserationum, qui caret fundo, & video me veluti defœdatam ac deformem coram DEO. Unde illi ex intimo corde dicebam: Mi Domine, noscitur me Tua Majestas? videbaturque mihi respondere: Ità nosco. Reponebam ego, ac dicebam: Heu me,

miseram! quomodo sum ausa huc venire, cum sim tam immunda, & plena miserijs? Quid mecum Dominus meus faciet? nonne esset melius hinc abire, & prius mundari, ac deinde coram illo comparere, atque implorare ipsius misericordiam? statim tamen iterum dicebam: Quid dico, mi Domine? Ego scio, comparandum mihi esse coram te, qualiscunque sim, quia es ubique, nec potest ullus te fallere, aut decipere: unde qualitercunque sim constituta, volo me prosternere ad tuos pedes, & petere à te misericordiam; atque ita ex gratia consequar, quod mihi non debetur ex iustitia.

§. IV.

Ex hac sui ipsius cognitione etiam proveniebat humillima reverentia, quâ venerabatur DEUM, ita ut magna cum ipso familiaritas non pareret illius contemptum, imò vel ideo ipsum magis estimaret, dum videret tantum DEUM versari tam familiariter, cum tam vili creatura.

Cum, ait, quodam die valde essem immerfa huic abyfso mei nihili, vidererque mihi opus habere alio majori inferno, quam sit is, quem DEUS habet pro reliquis peccatoribus, de repente me inveni coram Divina Majestate, fuitque tanta mea verecundia & confusio, propterea, quod me adverterem esse in ipsius conspectu, ut illi elatâ voce dixerim, sicut Sanctus Petrus: Noli huc venire Domine, recede à me, quia non mereor comparere coram te; existimabam enim, quod ipsi moverem nauseam, possemque illi parere fastidium, ut me abominaretur, atque à se repelleret. Sed Clementissimus Dominus, postquam aliquantum tacuisset, dixit mihi: Nonne vides, quod nullâ me ratione possis coinquinare, & ego te possim mundare? atque hoc dicto accessit, & amplexatus est me cum magno affectu, & signis tenerrimi amoris: quâ gratiâ factum est, ut meæ lacrimæ converterentur in gaudiû. Et deprehendi me mundissimam, vehementerque obstupui, quod me viderem inter brachia mei Domini. Postquam iste raptus præterijt, quando ad me redij,

F

non

non inveni Dominum, quia jam abiverat, quod tantopere sensi, ut deplorarem ipsius absentiam, & amanter conquererem, quod me deseruisset: quin innotimebam, nè ad me veniret, quamvis dolerem, ipsum abivisse, quia semper affectus propriæ cognitionis sunt instar graduum, ut magis exardescam amore DEI, quem prius refugiebam.

Aliâ vice, cum me profundè immergerem in meam vilitatem, deprehendi me tam laceram, & miserè vestitam, ut me videndo erubescerem, neque me præ pudore, quem sentiebam, auferem aspicerem. Comparuit autem mihi Dominus, more consueto, & fui repleta multò majori pudore, atque confusione, donec Divina Majestas vices meas dolens propter id quod patiebar, dum me hoc modo videret constitutam, mandavisset duobus Angelis, ut me exuerent eâ veste: quod fecerunt, indueruntque me aliâ admirandi pretij & elegantie, quâ induta multò magis, quàm antea mirabar, eò quod me viderem tam splendè vestitam. Interea fui rapta in ecstasim, & Dominus me secum univit fortissimâ unione amoris, quâ solebat; & quando ad me redij, vidi me ditatam meo Domino, & ejus donis.

Aliâ (& hoc est terribilius) se detinuit Christus Dominus apud me tanto tempore, ut mihi affederit, audiendo mea dubia, isque respondendo. Deinde se erexit Divina ipsius Majestas, & postquam aliquantum fuisset progressus, ac recessisset, vocavit me, dixitque: Marina, accede; subindicans mihi, se velle mecum corporaliter deambulare per cubiculum; sed fuit tantus meus pudor, qui me idcirco occupavit, ut me non potuerim movere: quando verò potui loqui, mirata sum, & conquesta, quod Divina Majestas dixisset ac voluisset talem rem facere, siquidem hoc me submersisset in mea abyssu, & dirupisset mihi cor præ vehementia doloris. Tum Christus Dominus suaviter respondit: Quid ergo? nonne ego ita egi cum alijs? ut eum mea serva Catharina Senensi? & nonne ego dixi, quod, quanto magis se quis humiliaverit, tanto magis sit exaltandus? Ità

mereliquit; sed ego disputabam mecum ipsa dicens, DEUM facere mirabilia; & conquerens Sanctis Angelis, qui mihi semper assisteabant, dixi illis: Quamvis Dominus hoc fecerit cum alijs, ex sua infinita bonitate, illi tamen erant sancti, & qui plurima ipsi præstabant obsequia, sed quod mihi id faciat, tam indignè & miserabili, ac ad omnia ineptè, id me reddit impotentis. At Angeli responderunt: Verum est, quod fuerint magni sancti, & majora præstiterint opera pro DEI gloria, quàm tu, qua in re te superaverunt, sed etiam tu superas alios, quemadmodum DEUS consuevit facere, ut ipsius servi emineant quapiam virtute præ cæteris, statimque, ut illud dictum possem iustinare, mihi suaviter explicuerunt, quo pacto alios superarem, nimirum, quod me tam profundè cognoscerem ac despicerem.

Et certe erubescere ac pudescere, quod DEUS, vel homines, nullum ipsi honorem exhiberent: contra verò gaudebat, quando ipsam despiciebant, & contemnebant: ac propterea tantopere sensit, quod Christus Dominus attentaret ipsam ex ratione honorare. Advertendum tamen est, sic illam consuevisse agere, quando sibi erat præsens, habebantque locum veritates, quas fixas gerebat in anima, ita ut illis pro suo libitu uteretur: verum quando erat rapta, & absorpta, solebat DEUS majorem cum illa facere, ita ut ipsa eorum curâ non tangeretur, quia erat elevata à Divino Spiritu, & quasi immemor propria cognitionis de sua vilitate, atque amor purus, & castus, summopere tamen ardens, illam animabat, ut ijs favoribus fruere.

§. V.

Sed jurat pondere rem admirabilem. Siquæ relucebat in istis affectibus propria cognitionis, quod admirando modo illos associaret affectibus amoris & confidentia.

Quadam vice, inquit, dum considerarem magnitudinem & potentiam Domini DEI, & quomodo ab illo universa dependeant, ipse verò à nulla re, sed omnia gubernet ac sustentet, absque defatigatione vel molestia, magno inde solatio perfusa,

capit

cœpi tecum loqui, & mihi ipsi dicere: Creatura pauper, debilis, & miserabilis, gaude & exulta, quia tibi significo, Dominum tuum, ac Bonum tuum, & illum, quem super omnia amas, esse summè potentem, & maximum, posseque uniuersa, quæ vult: quamvis autem sis pauperrima, & miserima, ut videaris tibi demersa in abyssum, dum consideras tuas miseras, est eâ potentiâ ac bonitate præditus, ut te ex eadem abyssu extrahat, salvèque ac resuscitet ad novam vitam, quæ illi placeat. Cum ita tecum hæc & alia loquerer, incipi denuò considerare illas divinas perfectiones, atque ita mea anima replebatur gaudio, partim, quod viderem Dominum meum adeò abundantem suâ propriâ gloriâ & excellentiâ, partim verò propter confidentiam, quam sentiebam ex eo, quòd fruerer hoc summo Bono: fuitque ejusmodi id, quòd sensi, ut mihi viderer degere in cœlesti Jerosolima, quasi contempler illud summum Bonum, in quo sunt omnia bona, & à quo procedit gloria Beatorum, atque oblita omnium rerum hujus mundi, dicebam illi cum magno gaudio: Mi Domine, & Bonum meum, ac lumen oculorum meorù, si ita mihi places, dum te aspicio istis lippis oculis, & hac tam exigua consideratione contemplor, quando te videbo clarè, ablato velo mortalitatis, & expedita ab onere carnis mortalis, quàm mihi placebis! tunc satiabor amando te, sine impedimento, laudaboque te sine defatigatione, & fruor te absque timore tui amittendi: tunc rogabo beatos Spiritus, ut laudent & glorificent tuum sanctum Nomen, propter magnitudinem tuæ Bonitatis & Misericordiæ, siquidem dignatus es præstare tantam gratiam creaturæ tam miserabili. Dicebam ipsi etiam: Bonum meum, & Vita animæ meæ, nolo aliud solatium, quàm ut sequar te, contemplan-do te facie ad faciem, ut videam, quid mihi imperes, quia gloria mea non est alia, quam exequi tuam voluntatem, atque ut tu facias de me, quòd volueris, tanquam de creatura tua: hoc enim erit solatium meum. *Istis considerationibus, & colloquijs, se confortabat famula DEI, ne ipsam propria cognitio exanimaret.*

Hoc tamen non erat maximè mirandum; sed quòd in eadem continuatione hujus cognitionis sui ipsius, & in affectibus, in quos erumpebat, simul ferveret affectus amoris & confidentiæ, ita ut illi non impedirent istos, imò se invicem excitarent, & redderent vivaciores. Istam mirabilem conjunctionem ipsa his verbis pondembat: Tanta est Sapiencia & Potencia hujus nostri Magni Domini ac DEI, ut sciat & possit conjungere res contrarias, quin altera adversus alteram prævaleat. Eritne enim tam potens aliquis, ut conjungat duas res, quales sunt aqua & ignis, ita ut neutra illarum pereat? Noster autem magnus DEUS hoc potest, & facit nobiscum, dignaturque dare suis creaturis claram animæ cognitionem de istis suis veritatibus, deque sua Potencia ac Bonitate infinita, adeò ut id videatur contrectari posse manibus, & videri oculis. Atque hoc dico, ac possum dicere, tanquam testis oculata, & propter experientiam gratiarum, quas à DEO accipio, quia video in me duo, quæ sola DEI potest conjungere potentia. Quis enim potest conjungere cognitionem mei ipsius tam profundam, quæ pariat in mea anima affectus & motus prædictos, ut constituta coram DEO, me videam imbecillam, & pauperrimam, quæ nequeam, nec sciam quidquam ex me facere, quòd gratum sit ipsius Divinis oculis, videamque me plenam defectibus ac miserijs, & quòd, quando Divina ejus Majestas in me magis profundit beneficia, & auxilia, ut progrediar, atque non hæream totâ vitâ immerfa luto, sicuti hæreo, cum deberem illud modicum præstare quòd possum, me perdam, magisque immergam, ut submergerer, nisi me potens DEI brachium sustineret. Et dum me video plenam tot malis coram DEO, videor mihi coram illo comparere, maculatam habens ac defædatam imaginem & effigiem, quam Divina Majestas mihi dedit, & esse talis, ut, sic loquendo, nesciam an DEUS me sit agiturus, qualem ego me intueor, habito clarissimo animæ lumine: quòd me videtur conficere, facitque, ut summopere desiderem, sumere vindictam de me ipsa, eò quòd talia faciam, ac

F 2 tanta

tanta bona dissipem. Nihilominus omnibus istis diluvijs propriæ agnitionis anima non submergitur, neque perdit quidquam confidentiæ, quam habet, & DEUS ipsi dedit, pro sua Bonitate & Misericordia infinita, unde illum amat, ac flagrat, consumiturque amore ipsius, & confidit in eo, quietè ac pacatè, quasi mereretur ipsum amare, fecissetque aliquid ad illius gloriam; idque non sine magno lumine, quod Divina Majestas ipsi ex sua Bonitate communicat, nec absq; pignore quodam amoris, quem reposuit in intimo recessu meæ animæ, & qui illam reddit fortem atque constantem, ut ipsam nihil possit à cæpta via abducere, & perturbare. Visis igitur istis perfectionibus nostri DEI, quas ab ipso illuminata cognovi, & experientiâ didici, dico: Quis erit tam potens, ut hæc faciat, nisi iste Dominus? ideoque dum id experior, mea anima exardescit tanto ipsius amore, ut videatur eo consumi.

§. IV.

Pro conclusione dicamus, ex hac propria cognitione processisse etiam dolorem, & pudorem, quem sentiebat, quando res admiranda, quæ ipsi accidebant, spargebantur inter alios: & propterea experiebat magnam difficultatem ac repugnantiam in prodendis ijs, quæ DEUS ipsi manifestabat, & illam. jubebat alijs dicere, conabaturque talia ita proferre, ut non intelligeretur, quod eas sciret ex revelatione. Et cum hæc difficultas indes augetur, dixit aliquando ad DEUM: Quid est hoc, mi Domine? quod antè octodecim annos facilius patefecerim, quod mihi dicebas, & modò sentiam tantam difficultatem, ac repugnantiam? Responditque ipsi DEUS, presentem statum esse meliorem, & securiorem.

Hinc etiam oriebat, quod extremè refugeret omnia exteriora, quæ conciliant opinionem sanctitatis apud homines, ut est, paptus publicè, suspendi elevato corpore in aère, vivere absque omni cibo, habere visibilia signa vulnerum in manibus, pedibus, latere, & capite, atque alia hujusmodi, qui-

bus non parvum subest periculum illusionis. Quodam vice considerans ingentem molestiam, quam ipsi vel modicus cibus sumptus afferebat, quòdque sancto quodam die Veneris transegisset jejuna plures quàm viginti horas, non sentiens famem aut debilitatem, dixit suo Angelo Custodi, quasi hoc jejunium vellet ulterius producere: Vide, mi Domine, quomodo transegerim hoc tempus bene absque cibo? Respondit, sanctus Angelus: Putasne tuam sustentationem pendere ex eo, quod comedis? velim, intelligas, rem aliter se habere, & quòd non posses illo solo vitam conservare, nisi te sustentaret DEUS, & conservaret suam potentiam manu. Vult autem, ut modicum istud alimentum pro tua majore afflictione sumas, utque aliquid ita patiaris, quin etiam ad abolendas in sua Ecclesia singularitates, quarum est hostis, & præterea, ut homines intelligant, quòd DEUS exhibeat magnas & extraordinarias gratias; ac favores ijs, quibus Divina ipsius Majestas illos exhibere decrevit, sive comedant, sive non, sive sint affixi lecto, sive extra illum, ideoque tecum facit, quod ipsi placet. Has tres rationes dixit Angelus, ut declararet, quantum placeat DEO, quàmque securus sit modus vivendi, quoad exteriora, ordinarius & communis; quoad interna verò, quæ sunt occultata, extraordinarius ac rarus, quòdque bene alter alterum compatiatur. Verum, ut evitaret extrema, & acquisceret omnibus, quæ DEUS faceret, contigit illi aliquid notabile, quando quodam die in perceptione cujusdam extraordinariæ gratiæ, se ipsius corpus, viribus spiritus, valde altè elevavit, quin tamen ab ullo videretur, eò quòd esset sola. Tunc autem dixit ad Dominum DEUM: Mi DEUS, bene mihi posset tua Majestas conferre has gratias absque isto novo miraculo? Respondit DEUS: Hòcne te consternat? Non est adeò magnum istud miraculum, quod sæpe sum operatus in meis antiquis Sanctis, unà cum alijs majoribus miraculis. Esto contenta, quòd non habeas publicas elevationes, & raptus, neque mihi velis ligare manus, ne faciam, quod voluero.

CAPVT VIII.

De ardenti igne Divini Amoris, quo æstuabat ipſius anima, vehementer deſiderans placere DEO, ſequẽ cum illo unire.



SUper tam profundum propria agnitionis fundamentum, exadificavit DEUS altissimam fabricam excellentissime charitatis, & Sapientia celestis, infundendo anime famula sue subtilissimam cognitionem suæ Divinitatis & magnitudinis, atque accendendo in ea vehementem ignem sui Divini Amoris, additis ardentibus desiderijs ipsi placendi, querendi illam continuè, univendique se magis ac magis huic summo Bono. Inter hæc desideria ipsi dicebat: (Sunt illius verba.) Ubi te reperiam Bonum meum, & Cor meum? ubi es? volo enim te quærere & invenire, etiamsi pro te essem igne concremanda: & hæc esset gloria, me pati amore tui. Respondit mihi Dominus: Hic me reperies in tuo corde, quia hic sum, & me habebis ac possidebis. Postquam hoc dixisset, quasi mihi met ipsi erepta, dixi: Eja, mi Domine, ego tecum volo inire pactum, si mihi id concedis, ut tibi dem meam vitam, & meam animam, ac meum cor, & quidquid sum, ac habeo; utque nihil pro me petam, sed omnia sint tua, quia Tua Majestas mihi omnia dedit; & ut tu sis meum bonum, & meus Dominus, nec velim quidquam, aut amem, aut quæram, aut videam, nisi te Bonum infinitum cordis mei. Postmodum, dum adirem sacram Synaxim, illi dixi: Mi Domine, non recordor bene pacti, quod heri inivimus. Responditque Divina Majestas: Nihil refert, ego enim bene ejus memini. Tum ipsi dixi: Videat ergo Tua Majestas, ut mihi det, quod ego dicebam. Cum hoc tam ardenti affectu, sæpe repetebam ista duo verba: Mi Domine, nihil pro me, & omnia pro te; desiderando omnem gloriam, honorem, laudes & thesauros cæli ac terræ cedere DEO, & ipsa nihil habere; optabam pariter hoc

habere inscriptum cordi meo, & intimè ab illo penetrari. Tunc venerunt ad me duo ex meis Dominis Angelis, qui semper mecum morantur, dixeruntque mihi: Soror nostra, tu non potes scribere, cum sis tam infirma, visne tibi id à nobis scribi? & cum ipsis dixissem, me velle: scripserunt literis magnis, cæruleis, in membrana, quæ mihi porrigebant; sed ego tergiverſabar, more solito, ipsam accipere; illi verò tandem eam dederunt sancto Angelo meo Custodi, qui illam servavit, sicut familia solet asservare.

§. I.

CUM his ipsis desiderijs dixi ad DEUM alia vice: Mi Domine, quid faciam, ut tibi placeam? emorior enim præ desiderio tibi placendi, & darem mille vitas, si eas haberem, atque omnem sanguinem meum, pro eo, quod desidero: impera mihi aliquid, Bonum meum; adsum enim prompta ad omnia, quæ mihi volueris imperare, quamvis me jubeas sustinere maximos dolores, & corpus meum projici in grandem rogum, quo consumatur. Licet autem hæc desideria procederent ex intimo corde, non tamen satisfaciebant mihi propter ingentem miseriam, quam in me cognosco, dicebamque mihi ipsi: Quid dicis? mentirisne, an non? Attende, puto enim te mentiri; & conversa ad DEUM, dixi illi: Domine mi, mentiõrne, an dico veritatem? Respondit DEUS: Non mentiris, quia verum loqueris, & ego accepto hæc desideria pro ipso opere, eorundemque executione. Ità cor meum conquievit, quod quasi colliqueſcebat coram DEO. Aliàs tamen, dum essem taliter constituta, dixi illi: Domine, nonne mihi dabis, propter tuam misericordiam, modicum humilitatis; & charitatis, aliarumque virtutum, tibi præ cæteris placentium?

quia te quærendo vagabunda oberro, nec scio, an, dum cogito, quod quæram te, non quæram me ipsam; & hoc fervore incitata, nesciens quid dicerem, etiam addidi: Mi Domine, si mihi dares, quod desidero, & à te peto, ego tibi darem, quidquid habeo. Sed Dominus, qui magis respicit cordis affectum, eundemq; approbat, respondit quàm amantissime: Quæso, ubi habes omnia tua? nonne vides, omnia esse mea? Ego autem tum eodem ardore dixi: Sit ergo, Domine, sicut dicis, omnia tibi dabo & reddam, ut adimpleas meum desiderium, quod habeo placendi tibi.

Aliàs, cum similiter Divino amore flagrarem, dixi DEO: Verè, Amorem, ac Domine mi, diligo te sicut vitam meam, & cor meum; responditque Divina Majestas: Vide, ut me amplius ames. Et merito mihi id Dominus dixit: quia licet verum sit, quod ipsum amem super omnia, imò, ut melius dicam, nihil velim, nec amem præter ipsum, atque ab illo dependeat anima mea, & cor meum: tamen hic ipse amor, quo anima mea in ipsum fertur, facit, ut videatur sibi illum non amare, neq; quærere, neq; possidere, quem admodum illa vult: atq; ita quantò magis illum mea anima amat, tantò amplius ipsum desiderat amare; & quantò magis illum quærit, tantò amplius ipsum desiderat quærere, ac invenire; videt enim plus esse, & quidem multò plus sibi quærendum & invenendum, ac amandum, seque non incepisse ipsum amare, & quærere: & quantumcunque illum amet, ac desideret, & quærat, videtur sibi nihil habere, propterea, quòd tam multum desideret; ideoque assidue suspirat, ut quod non habet, & illud multum, quod ipsi deest, consequatur, semperque esurit ac sitit, simulque est saturata, & abundat solatio, quia quod desiderat, affert illi satietatem, & solatium. Atque hæ sunt vicissitudines Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ, quòd, dum satiat animas, sciat illas conservare famelicas, ut ob satietatem sint contentæ, habeantq; solatium; propter famem autem multorum, quibus carent, sint sollicitæ, ac desiderant retine-

re, quod habent. Inter hujusmodi desideria, dixi illi quodam die: Eja tandem, mi Domine, agè, & veni ad pauper calum tugurium tuæ ancillæ, ac reple illud te ipso, & fac in eo, quod vis, tanquam absolutus ipsius Dominus; veni jam, Dilecte meæ animæ, ecce enim affligitur & consumitur propter te, dum vult ac desiderat tantum adimpleri tuam voluntatem, ac beneplacitum. Ecce amabilissime Domine, licet verum sit, quòd ex pura tua bonitate, dum nihil in me reperis aliud, quàm solam meam miseriam, univeris animam meam tecum tam forti complexu, quàm tu scis, adeò ut semper sis ipsi præsens, & illa sit prostrata in tuo conspectu; nihilominus te simulas, quati longè ab anima abesse, ut crucietur, desiderando te obtinere, & possidere, eo modo, quo tu vis: gloria namque mea est sola tua voluntas. *Hæc & alia dicebat ista DEI famula ad suum dilectum, Divino ipsius amore ebriata.*

§ II.

Qui tamen non didicit experientia, quid sit amor DEI, non poterit intelligere cruciatum, quem adferunt hæc ardentia desideria ipsius magis magisque amandi, & sanctas stultitias, quas lingua profert, præ anime ebrietate: quæ omnia ita invalescunt, ut anima non possit reperire quietem, donec illam DEUS abripiat, uniatq; secum intimo & tranquillissimo amore, qui tum est quadam species beatitudinis. Hoc ordinariè experiebat ista famula DEI, sicut patebit ex eo, quòd ipsa de se his verbis refert:

Dum aliquando agerem cum Domino DEO, cœpit mea anima tantopere exardescere, ut videretur consumi, & rapi extra se, atque deficere. Tunc DEUS uniebat secum meam animam, quæ sibi videbatur esse in coelo, coram Divina Majestate, omnium oblita, ut non videret, neque intelligeret quidquam, nisi ingens illud Bonum, quo ibi fruebatur, & in quo conquiescebat, ac respirabat anima mea, adeò, ut alià vice eodem modo flagrans illo igne Divini Amoris, incepim alloqui DEUM, ac dicere illi quædam, interque alia dixerim,

rim,

rim: Domine, non abeat Tua Majestas, neque me deserat, quia nec uno momento vivam absque te. Respondit verò mihi Dominus, & dixit: Ne timeas, ut abeam, teque deseram: hic incipit, quod semper durabit, quando me perfrueris. Cùm hoc audirem, inflamabatur cor meum magis amore DEI, ità ut non essem mei compos, neque scirem quid ipsi dicerem, considerans tantam bonitatem, unde illi dixi: Mi Domine, non loquatur tecum Tua Majestas, nec mihi ista dicat: ità namque sum constituta, ut timeam, ne respondeam aliquam stultitiam, sicut soleo, & ne inurbanè ac incircumspectè tecum agam, meū Bonum, ac Domine mi. Respondit mihi Divina Majestas: Dic, agè, quod volueris, nè timeas; quasi diceret: quod mihi cum tanto amore dicitur, non mihi displicet, imò placet. Tum ego habità illà licentià à Domino DEO, ardens desiderio, quod ille ipsa in mea anima excitabat, exequendi ipsius sanctissimam voluntatem, quam etiam ab omnibus alijs impleri optabam, dixi: Quid ergo, mi Domine, daturus es mihi, & meis consanguineis? Divina Majestas mihi respondit: Pete quidquid volueris, ego enim tibi id dabo. Tunc incepti quàm celerrimè, quasi mihi elaberetur tempus, ab ipso petere, quod pro me & pro alijs desiderabam. Et cùm ità mea anima arderet amore istius Domini, iterum Divina Majestas illam secum uniebat, eratque denuò coram ipso in illa cœlesti Jerusalem, oblita omnium, etiam sui ipsius, quia quo tempore hæc unio durat, quod nunquam est longum animæ, nihil aliud videtur uspiam esse, præter DEUM & ipsam; atque ita respirat & conquiescit, sicut qui desideratum bonum obtinuit.

Alià vice, cùm esset tanta vis hujus Divini Amoris, ut me conficeret, privaretque viribus corporis, non absque magno periculo perdendæ sanitatis & vitæ, ut propterea Confessarij mihi prohiberent conversationem & familiaritatem cum DEO, quamvis ego libenter tolerarem istam crucem, quæ mihi erat gravissima, eò quòd mihi illam ex sua benignitate imponeret ferendam DEUS, quem tantopere ama-

bam, tamen propter vehementiam amoris videbar mihi quasi conqueri Divinæ Majestati, dicendo ipsi: Bonum meum, & Domine mi, quare tecum sic procedis? Consumor enim, & conficior amore tui, quod non possim te ità frui, sicut vellem? Inde mi Domine, me repellis à te, siquidem non das robur miserabili meo corpori, ut te possim amare omnibus viribus animæ meæ, & meritissimò me repellis; id quod agnosco & fateor: sed aliunde video, quòd illabaris in meam animam, ipsamque accendas, & inflammas tuo amore, ità ut illi videatur impossibile, separari à te, & à tuo sancto ac Divino amore. Vide, Domine, quid agas, propter tuam Bonitatem: quandoquidem meritò me repellis, non sollicita usque adeò, neque accende meam animam, cùm mihi non suppetant vires, ut tantum sustineam: da mihi illas, ut te amem, & tibi placeam, exquarque in omnibus tuam sanctam voluntatem. Et durante adhuc istiusmodi cruce, dixi illi aliàs: Bonum meum, & Domine mi, maneo tecum, etiamsi me repellas à te, quia mihi non das vires corporis, ut possim ad te pervenire. Cui hoc placeret, mi Domine? Divina verò Majestas mihi respondit: Quid dicis? hocne tibi est dicendum? Egone non te volo? An te velim, amica, bene intelligis, & scis: ac deinde conversus ad sanctos Angelos, qui ibi aderant, dixit illis, ut attentè considerarent ardentem & inflammatum amorem, quo flagraret anima illius suæ creaturæ. Tum Angeli conversis oculis ad meam pauperem animam, aliquamdiu attoniti ac admirabundi illam aspiciebant, & laudabant DEUM, propter opera, quæ dignatur facere, ex infinita sua bonitate, in suis creaturis. Deinde convertit Christus Dominus suos Divinos oculos ad me, & intuens me quàm amantissimè, univit secum meam animam, quæ tum conquievit, collocata jam quasi in brachijs sui dilecti, quia quando amor tam procul pertingit, non habet aliam quietem, quam hanc unionè, quæ anima quodammodo absorbetur, ac sopitur, redditurque omnium rerum immemor, dum amat in pace & quiete suum

Domini

Dominum, quasi jam nihil aliud haberet ad agendum, aut curandum. Et quando ex hoc raptu revertitur, quodammodo expergiscitur ex somno, propter sopitos prius sensus externos.

Quemadmodum nunc Angeli, ita alias amorem hujus famule DEI obstupuit gloriosus Sanctus Dominicus, & noster Sanctus Pater Ignatius, cum ipsam inviserent: quia dum Sanctus Dominicus miraretur, quod in illa videbat, audivit ipsum dicentem nostro Sancto Patri: Ego in vita mea non inveni animam tantis affectibus, & tam ardenti amore æstuantem, tamquæ illuminatam ac liberam ab omni illusionem; quamvis alij servi DEI peregerint alias majores exteriores penitentias. Neque ullus obstupescat, fuisse à DEO & sanctis ipsius, in præsentem, talia verba prolata: nam, ut jam dictum est, non subibat periculum evanescenti, imò hujusmodi dictis magis pudebat.

§. III.

Sed non sunt minus rara & admirabiles visiones, concernentes hunc ardentem ipsius amorem, quas illi varijs modis Dominus exhibebat. Quadam vice, inquit, cum in mea collectione DEUM omnibus meis viribus amarem, Divina Majestas mihi monstravit, illuminando me specialiter, meammet animam inflammatam amore sui Domini, ut videretur esse instar vehementer accensi carbonis, quam flagrantissimi, quo viso terrefacta dicebam intra me ipsam: Si anima tantopere exardescit amore sui DEI, quale erit Sacratissimum cor Christi Domini nostri, quamque ardens, & totum flagrans amore suarum creaturarum? cum hoc dixissem, ostendit mihi Redemptor suum sacratissimum cor totum igneum, habens colorem elegantissimi & pretiosissimi rubini: deinde verò vidi ipsum Dominum, tanquam Solem Justitiæ, in quo parvo Sole erat totus Christus, integer, ac omnipotens, nec non tota ipsius virtus, tam sublimi ac eminenti modo, ut nequeat explicari: atque ex hoc Divino Sole Justitiæ prodibant quidam radij, qui suis cuspidibus feriebant meam a-

animam, illamque ita incendebant, sicut erat accensa: & similiter vidi istos radios, sepe per totam terram diffundentes ac influentes, seque suo lumine insinuantem in animas, quocumque pertingebant. Et quamvis non assequeretur, ut videret quorsum pertingerent, & ad quas animas; tamen divinitus illuminata cognoscebat, esse illas animas, quas Divina Majestas inhabitat per gratiam. Cum autem hoc viderem, magis exardescere ipsius Divino amore, neque aliud sciebam dicere, quam illud, quod dicit Ecclesia de Beatissima Virgine: **QVIA EX TE ORTUS EST SOL JUSTITIÆ, CHRISTUS DEUS NOSTER:** videbaturq; mihi interdiu ante oculos animæ habere illum Divinum Solem, cum ingentis solatio: sicuti quando aliquis fixis oculis intuitus est Solem, semper obversantes suis oculis habet radios Solis, quem vidit. Conspexi autem bis terve Christum Dominum, hac ratione in sacra Hostia.

Alias correpta eodem incendio amoris, vidi etiam meam propriam animam, quasi totam circumdatam quibusdam flammis Divini ignis, qui habebat hos omnes effectus: erat clarissimus, elegantissimus, suavissimus, fortissimus, & valde ustivus, eamq; attonita, dum videré, quod etiam si anima arderet, non combureretur, neque consumeretur, imò experiretur magnam dulcedinem ac solatium; & animadverti eam hujus rei esse causam, quod ibi Divina Majestas suâ Potentiâ & Sapientiâ infinitâ adesset, atque id efficeret ac operaretur illud Mysterium, dignum suâ infinitâ Bonitate, & igne, atque amore ardentissimo, quo flagrat ipsius Divinum pectus, & cor.

Aliâ vice, cum quadam nocte vigil decumberem in lecto, venit quidam Angelus, qui abreptum meum spiritum videbatur sustulisse, abiens aliquot passibus à lecto, ubi illum collocavit in quodam loculo, pleno pulcherrimis & flagrantissimis floribus, qualibus solet adornari, dum in eo ad sepulchrum deferendus est quispiam infans: deinde vidi circa lectulum illum funebrem accendi ignem, suavem & fortem, atque adeo resplendentem, ut bene appareret, qualis esset; & Angelus cum alijs

lijis suis socijs obtulit spiritum, ibi existentem, instar holocausti ac victimæ in eo Divino igne, ita ut nescirem, nec intelligerem, quid fieret, quia id mihi tunc non fuit manifestatum, sicut alijs: sed finito isto actu, me reperi in meo lecto, & interrogavi Dominum, quidnam mihi eà re voluerit indicare? Respondit mihi: Amica, ille erat Angelus tuus Custos, qui cum alijs te obtulit meo Patri in illo igne. Ego verò subito dixi: Ergone, Domine, id non potuit facere in meo lecto, non auferendo me inde? Et Divina Majestas mihi respondit: Nonne vidisti, quod quando alicui præsentatur elegans cimelium, etiam si offerri possit in lectum scrinium, melius existimetur fieri, si inde exponatur, ut magis luceat, & appareat, quale sit? Ecce ita fecerunt Angeli. Sic mysterio acquievi, & ejus significationi. *Quia in istis eventibus ipsa nihil unquam querebat ducta curiositate, sed solummodo id, quod illi ipse DEUS inspirabat: libenter enim ipsi declamabat ea, qua interrogabat. Atque in hoc eventu quamvis illi ceterum non declaraverit; bene tamen potest intelligi, illud statum mortuale pulchris & fragrantibus floribus refertum, esse conscientiam ad natiuitatem heroicis & fragrantibus floribus refertum; esse conscientiam ad ornatum heroicis & exemplaribus virtutibus: quapropter dixit Sponsa: Lectulus noster floridus, ubi in somno contemplationis exardescit ignis Divini Amoris, in quo se offert anima in holocaustum, dum sibi ipsi perit, ut transformetur in DEUM: atq; hoc obtinet per Angelos (specialiter verò per Angelum Custodem) qui sunt ministri DEI, ut ipsam adjuvent in ejusmodi operibus.*

§. IV.

DEnique, quia amor exhibetur factis, quando illi aliquid erit peragendum, petebat subito à DEO lumen, ut cognosceret, an ipsi placeret, & modum, quo id ab illa vellet fieri. Volens itaque tale quoddam opus peragere, dixit Divina Majestati: Mi Domine, tu scis desiderium, quod mea anima habet, placendi tibi, & satisfaciendi in omnibus, atque non aberrandi à Tua

sanctissima voluntate: obsecro te, Bonum meum, per viscera misericordiæ tuæ, & infinitam Bonitatem, ut mihi des lumen, quo illustrata nunc infallibiliter faciam, quod tibi magis placeat, ac unde resulter major gloria, & obsequium tuum: hoc enim est, quod desidero toto meo corde, nec aliud volo facere, neque mihi placet, sed nec me delectare potest, quam hoc solum, quod tu vis, & quod cedit in tuum obsequium. *Tum illi dixit Dominus: Hæc in re age, quod volueris, quia cum ista dispositione, quidquid feceris, mihi placebit, & gratum erit. Sed ipsa respondit: Non, non, mi Domine! verum quod Tua Majestas mandaverit, ac voluerit, ego volo; & non aliud. Dixit illi quoque Dominus alia vice: Fac quod volueris, hoc enim ego volo. Ipsa autem fecit, quod intellexit esse gratius DEO, qui bene novit, cui fidat, quando Justo dicit, ut faciat, quod voluerit: propterea dictum est: Justo, non esse positam legem: siquidem, etiamsi non exaret lex, qua illum possit adigere, ipsi tamen placet facere, quod placet DEO, & est consentaneum illius sanctæ legi.*

Confirmemus id factum, ac dono admodum exiguo, quod in suis initijs obtulit DEO, ex impulsu sui teneri amoris, sicut ipsa refert hunc in modum: Dum mea anima ageret cum DEO, amando ipsum toto corde meo, ac desiderando illi omnibus viribus meis placere, ac satisfacere in omnibus operibus meis, offerendo illi in hanc finem, omnia ardentia desideria cordis mei, quæ erant, ut tota consumerer, meq; offerrem ita liberam, ac denudatam ab omnibus rebus, in ipsius obsequium, dicebam Divina Majestati, quasi ignorans, quid dicerem: Quid faciam pro te, Bonum infinitum? quid tibi dabo ego, Bonum meum, quia sum pauper & miserabilis, ac imbecillis, & nihil habeo, nihil etiam valeo ac nihil sum, nihil possum pro te facere, neq; tibi quidquam possum dare; nonne ita est mea spes? unde nescio, quid tibi dem, aut quid tibi offeram, quia sum ipsa pauperies, & tu solus es dives, ac is, qui potes, & qui vales, & qui es; nam tuum esse est infinitum, & essentialiter tuum, atque à nemine dependet

G

det

det, à te verò omnes dependemus, accipimusque esse, quod habemus: & propter hanc paupertatem meam, quid possum ego pro te facere? vel quid tibi possum dare? dic, Spes mea, quid tibi placeat, & gratum sit, quidque te delectet. Et cum hoc frequenter repeterem, quid tibi dabo ego, meum Cor, & Anima mea? dixi Divinæ Majestati: Bonum meum, ac Domine mi, volo tibi dare illam cruculam meam, quæ mihi est donata, visne ipsam, meum Cor? ego illam tibi dabo quam libentissimè, (erat quædam parvula crucula, quæ mihi fortè paulò antè fuerat data) hoc tamen dicto redij ad me, quasi expergiscerer ex somno, & dixi: JESU, Bonum meum animæ meæ, ego sum stulta, quòd talem insaniam protulerim, qualis ista est: nunquid tu forsitan es aliqua creatura humana hujus mundi, sicut ego, quòd tibi dem & offeram cruces devotionis, quas appendas Rosarijs? Crux, quam tu Domine accipies & voles à me, erit mortificatio mearum passionum. Et reprehendebam me ipsam propter istam audaciam. Sed quis imensitatem Bonitatis nostri Domini poterit verbis exprimere, vel explicare? tanta siquidem est, ut, loco reprehensionis, mihi peramanter responderit: Ità, volo, da mihi illam, quia ego tibi ipsam restituam cum lucro. Quo audito à Domino, utpote indigna eà gratià, quam mihi offerebat, illustrata tanto lumine, quo agnoscebam infinitam ipsius bonitatem, extimui, & recessi, siquidem ille favor nimius pro me miserabili esse videbatur, nec me movi, ut illam adferrem; non habebam enim ipsam apud me. Christus autem Dominus me urgebat dicendo: Adfer mihi illam. Ego miserabilis non audebam, neque videbar posse ullà ratione animum inducere, ad eam ferendam. Videns ergo Dominus tantam meam verecundiam, tacuit, ac dissimulavit factum, neque mihi amplius dixit, ut ipsam adferrem. Cùm viderem illum conticuisse, valde eram confusa, neque sciebam, quid agerem. Tandem verò me determinavi, & cucurri allatura meam crucem, quam manu tenens, filii, & nec verbum loquuta sum; quia non au-

debam, ac bene intelligebam, quòd jam illam Christus Dominus non esset accepturus. Dum ità cor meum esset constitutum, Divina Majestas me aspexit vultu gravissimo, dixitque mihi: Quia fuisti nimium verecunda, ac timida, perdes minimum hac vice præstans Reliquariu, quod haberes; dedissem enim tibi istam crucem, quam habes, meà manu benedictam, quæ potuisses repellere à te aliquando diabolus, volentem te invadere; sed tandem dissimulabitur tibi iste defectus, quem commisisti: quo dicto discessit Divina Majestas, ego verò remansit egregiè pudefacta, & afflictà toto illo die; quanquam propterea, quòd dixerit, dissimulandum mihi illum defectum, significans mihi se ipsum ignoscere, habui aliquid solatii, quia ista erat maxima mea afflictio, quando aliquid commisi ipsi displicens.

Post aliquot dies, qui non erant multi, cum quodam tempore matutino essem collecta, more meo, vidi Christum Dominum, indutum suis sacris & venerandis vestibus, quas solet gestare, & sedentem quasi in quadà sella, pedibus collocatis super humeros quorundam Angelorum, qui aderant cum magna gloria & jucunditate. Ante Dominum erat posita mensa, cooperta panno instar altaris, & supra mensam erant nonnulli libelli chartæ conscripti, quos sacratissima ipsius Majestas aspiciebat, & acceptos suis manibus commiscebat, perolvebatque, & uno seposito accipiebat alium, quasi volens videre tam inferiores, quam superiores, atque essentne multi, an pauci? & subinde aliquem ex ijs apprehensum lustrabat, quasi vellet videre characterem, & quid in eo esset scriptum; cùmque ego intuerer chartas, agnovi illas, & vidi esse meas, quas tum conscribentem, dixi illi: Quid est, mi Domine, quòd Tua Majestas aspicit in his chartis? aspicitne fortè, an in illis scripta sint aliqua mendacia, quia ego non intellexerim, quòd mihi Tua Majestas dicit, meque docet? Hoc enim erat, quòd ego mihi imaginabar. Verùm Dominus mihi respondit, se non hoc aspiceret, neque contineri in illis mendacium, quale ego cogitabam, sed neq; ullum aliud.

Possimus quoque intelligere, fuisse id factum à Domino, ut ostenderet, se approbare, quod continebatur in ijs scriptis: Postea vidi in ea mensa, seu altari illam meam cruculam, quam non fueram nuper ausa dare Christo Domino, qui ubi ipsam fuisset intuitus, Sacratissimâ suâ manu eam benedixit, &

reposuit ad mensam. Ego eram attonita, dum illam aspicerem; ipse autem, postquam illum circumdedissent quàm reuerentissimè multi Angeli, ascendit in coelû, & ego fui repleta solatio, ac obstupui gratiam, quam mihi Dominus præstiterat.

)(*)

CAPUT IX.

De singulari cura, quâ studebat puritati animæ, fugiendo omnis generis peccata, deque multis rebus notatu dignis, quæ ipsi circa id evenerunt cum DEO.



H ardenti amore DEI, quo hac Virgo flagrabat, proveniebat aliud, non minus fervens, desiderium, obtinendi in summo gradu, puritatem, & nitorem animæ, dum quàm diligentissimè cavebat quaecunquæ peccatum, quantumvis minimû: quia intelligebat, hoc esse unicum medium, conservandi, & augendi amoris Divini, id quod illi etiâ DEUS hunc in modum declamavit:

Exhibuit mihi, inquit, quadam die lucem clarissimam, nitidissimam, ac pulcherrimam, & juxta ipsam Solem, vehementer admirandis radijs collucentem, qui illi appropinquabat, & in eam ingredebatur, reddebaturque illam pulcherrimam, ut evaderet similis ipsimet soli; atque tunc mihi dixit Divina Majestas: Vides istam lucem? Ecce, talis debet esse anima, ut me ipsi uniam unione amoris, & arctæ familiaritatis. Fui valde afflicta, considerando turbationes, quas tam frequentes patiebar: tamen consolatus est me Dominus, dicendo mihi, quod illæ non auferant claritatem, & pulchritudinem animæ, imò ipsam perficiant; sed peccata, & defectus commissi, contra quàm DEO placeat.

§. I.

De fervore, quo petebat, nè unquam peccaret, & quid illi Dominus responderit.

Hinc est, quod ordinariè & continuè in sua oratione petiverit à DEO, ut ipsi opitularetur, nè illum unquam offenderet, idque cum tanta sollicitudine, ut præ ea videretur penitus confici. Quadam vice, ait, cum vehementer ferverem, petivi à DEO, ex toto meo corde, mihi hanc magnam misericordiam exhiberi, ut ipsum per omnem vitam meam, nec leviter, neque graviter offenderem, faceremve quidquâ, illi displicens: & hoc frequenter iterabam cum eo ardore amoris, quem DEUS infundebat meæ animæ. Conspexi autem illum subito juxta me, & licet converterer suos Divinos oculos, ut me quàm amantissimè intueretur, non dicebat mihi ullum verbum, propter quod confusa & afflicta idem repetebam. Tunc me alloquutus est Dominus, & dixit: Quid habes amica? quid est, quod vis? adverte bene, quid velis? considera bene, quid petas. Ego præ illo sollicito desiderio, quo tenebar, ut illi placerem, respondi protinus: Bene id consideravi, Domine; da mihi per tuam Bonitatem, quod à te peto. Tacuit Dominus, & ego plena confusione, quia tum amplius non intelligebam, quàm quod cum eo affectu dicebam, etiam silui, aspiciendo meum Dominum, intimè optans ipsi placere. Dum hoc agerem, dixit mihi Divina Majestas: Amica, visne tu, quod ego volo? Respondi: ita, Domine mi, & Bonum meum: imò non volo, neque desidero aliud. Tace ergo, subjunxit Dominus, & bono esto animo, quia ego tibi hac

G 2

in re,

in te, quam à me tanto cum amore petis, dabo, quod tibi expedit, & ego à te requiro. Noveris autem, leves defectus meorum fidelium amicorum, propterea quod ego sim, qui sum, & propter ipsorum bonam dispositionem, solere id efficere in anima, quod facit aqua inpersa igni, quâ ille magis exardescit. Auditis his verbis Christi Domini, defixi quasi denuo oculos in ejus Majestatem, & vidi Divinum ipsius pectus apertum, instar fornacis ardentis inflammatum & accensum Divino amore, erantque in eo, ac ad illud veniebant plurimæ animæ sanctæ, unitæ charitate & amore Divino: quædam erant profundius immersæ illi sacro pectori, aliæ minus, secundum majus vel minus incendium Divini Amoris, qui illis communicabatur. Et erat res mira, in uno sacrosancto pectore, quod non erat capacius & amplius, quam ordinariè soleat esse pectus humanum, locum habere plurimas animas ardentes, sicut est dictum, omnes admirabiliter coordinatas, & combinatas; ac abundantes magno gaudio, ita ut se invicem non impedirent, neque coarctarentur magis, quam si ibi una sola existeret.

Hoc ipsi istâ occasione ostendit Dominus, ut animadverteret, illis levibus defectibus, in quos labuntur justî, non ex malitia, neque ex consuetudine, sed ex ignorantia, & repentino impetu alicujus passivuncula, quales in hac vita, sine speciali privilegio, evitari nequeunt, non extingui incendium Divini Amoris, imò illos ab isto consumi, quemadmodum ipse Dominus ei dixit, cum valde affligeretur ob quendam defectum, quem commiserat in sacra Communione: Isti tui minuti defectus, ajebat, cum magno amore, quo me amas, ac desideras facere id, quod mihi est gratius, pereunt & consumuntur coram me, sicut comburitur aliqua exigua palea applicata magno igni.

§. II.

Fructus, quos percipiebat ex suis defectibus.

Ulterius processit Bonitas DE Ierga suâ famulam, quando eliciebat multa bo-

na ex ejus defectibus. Aliquando, inquit ipsa, cum instantissimè peterem à Domino, ut me liberaret à quadam miseria, quâ patiebar, respondit mihi Divina Majestas: Si tibi hoc sustulero, quid tibi manebit pro conservanda humilitate, & pro exercitio virtutis? Ego verò: Satis, inquit, mihi remanebit, Domine: Tua Majestas me tantum liberet ab hac fragilitate. Dominus autem mihi dixit: Omnino faciam, liberabo te ab illa. Tum illi respondi: Et quando me Tua Majestas ab ipsa liberabit? Quando, ajebat, tibi expedit, liberabo te ab ea.

Aliâ vice, cum viderer mihi non esse ita immunis à quadam parva passione, sicut existimabam, petivi à Domino, & quidem in somno, ut non sineret cor meum adherere, præterquam sibi soli. Atque cum sic somniarem, dixit mihi Divina Majestas: Dormisne, & oras? dabo tibi, quod à me petis. Et manè, cum essem expergefacta, mihi dixit: Quid est, quod petis? & quid vis? Respondi: ut mihi tua Majestas auferat hoc, quod me gravat, ac inquietam reddit. Et Dominus revocans mihi in memoriam quendam defectum, qui me affligebat, dixit: Etiâne vis, ut à te istum auferam? Respondi: sicut Tuæ Majestati placuerit. Tacuit tamen, atque ut me doceret, procedere cautè, permisit, ut statim viderem dæmonem, cui ea res summe placebat, ac dicebat: Fortasse hæc potero habere aditum, ad ipsam perturbandam, istâ exigua passione, quæ illi aliquantum adhæsit; & scrupulo, quo propter eam vexatur. Hoc audito, timui, & rogavi Dominum, nè permitteret obtinere dæmonem, quod habebat in animo. Tum Christus Dominus ipsi dixit: Nè tibi ita applaudas, quia non habes causam: neque enim tuæ est relicta potestati. Itâ magis fui recreata, & egi magnas gratias Domino, pro favoribus, quos mihi præstat.

Aliâs, postquam commissem quendam defectum, qui me vehementer angebat, fuissémque illum confessa, ac deshevissém, quamvis Dominus mihi bis terve dixerit, ne me affligerem, comparebam in ipsius Divino conspectu tam pudefacta & confusa,

sa, ut cum mihi diceret Dominus: Da mihi manum, responderim ipsi: Ignosce, mi Domine, nullâ ratione tibi sic agendum est, cum tam vili creatura; non volo hunc favorem, Domine, non. Erat tanta mea confusio, ut ex lecto, in quo decumbebam, me invenerim projectam ad terram, ubi continuabam dolorem conceptum ob meum defectum, apud Divinos pedes: atque ex improvîso me reperi juxta pedes sanctissimæ ipsius humanitatis, ac adverti, quod me Dominus elevaret ex terra, mihi que diceret: Agedum, quid habes? quid vis? Ego fui pudefacta, & erubui propter hunc favorem; clausisque oculis animæ, præ confusione dixi ipsi: Domine, nescio, an te offenderim. Respondit Dominus: Nonne tibi jam ter dixi, quod non? Amica, conquiesce: & dicendo alia deliciofa verba, replevit me solatio, ac recreavit. Quando se vertit, ut abiret, incepti dicere: Domine, Domine! Divina autem Majestas, quasi me non audiret, accelerabat gressum: quare intendi magis vocem, vocando ipsum, usque dum dignaretur se convertere, & consolari me denuò, dicendo mihi, me non lapsuram amplius in defectum similem illi, quem timebam, à me commissum fuisse.

Anno 1617. alio die, quo commiseram quosdam defectus, reperi me coram DEO miserimè vestitam, & immundam, adeò ut erubescerem dum me intuerer, dixerimque pudefacta mei ipsius aspectu: Domine, merito debeo conqueri de me, videns me ita constitutam. Tum Dominus dixit Angelis, qui mihi assistunt: Auferte illi istam vestem, & mundetur. Vespere, vel postridie incidi in alium defectum, & vidi me coram Domino similiter laceram, & abominabilem, quamvis non tanto peccato, dixi que ipsi: Domine, vidésne, qualis sum? Et Divina Majestas quam pacatissimè & amantissimè iterum idem dixit Angelis, qui utraque vice accefferunt, & fecerunt, quod jussi erant. Mirata sum me, ac dixi Domino: Quomodo, Domine, hoc dicis tam mansuetè, cum me deberes castigare? Respondit Divina Majestas: Si senties intra diem cecideris, teque cecidif-

se agnoveris, mundabo te, atque sicut cælum distat à terra, & Oriens ab Occidente, ita removebo à te omnia peccata; & sicut Pater miseretur filiorum, ita ego miserebor tui.

Aliâ vice me illuminavit Dominus, ut me ipsam cognoscerem, ac si radius lucis permearet immundum, fœdum & confusum fimetum, plenum telis aranearum, & alijs fordibus, omnésque discooperiret. Cum me taliter viderem constitutam, indolui propterea, fuique vehementissimè commota, & flevi amarè; licet tum non cogitarem de ullo speciali peccato: si namque mihi essem ullius conscia, quomodo possem comparere coram DEO? naturalis ergo tantum miseria humana tanto peccato me affligebat. Sed significavit mihi Dominus, se hanc gratiam mihi præstitisse, ut me ditaret omnibus bonis, neque mihi deesset donum contritionis, quam mihi dixit, esse instar pulcherrimæ cujusdam imaginis, quæ depingitur in rudi aliqua tabula, quam pictor prius deturpat glutine, bitumine, ac lituris lineamentorum, ut illam deinde elegantissimè suis vivis coloribus efformet.

§. III.

Quomodo vitaverit internas tentationes, quæ provocant ad peccatum, & quid illi Dominus dixerit.

Ex his anxijis desiderijs evitandi omnis peccati, concipiebat timores internarum tentationum, incitantium ad peccandum, quæ de re habuit proficuum quoddam colloquium cum Christo Domino, hunc in modum: Dixerat mihi Divina Majestas, gloriam, quam essem in cælo habitura, spectato meo præfenti statu, futuram, qualem promeretur anima, quæ multum amaverit DEUM, nec illum offenderit gravibus peccatis, neque etiam in hac vita habuerit graves infestationes, nec passâ fuerit quidquam grave, aut magnas tentationes; & hac ratione mihi significavit, multos esse in cælo, qui propter magna certamina habita, & obtentas multas victorias, longè

majorem habeant gloriam. Per aliquot dies hoc ruminavi, considerans, quàm parum valerem, eò quòd non assequerem id, quòd alij, forè propter meam pigritiam & negligentiam, ideòque non essem tantum ac alij fruitura meo Domino. Cùm; aliquando propterea essem turbata, dixit mihi Divina Majestas: Quare turbaris? Dicis, te nolle habere tentationes, quibus affligeris ac angeris, & omnia times. Si velis & haberes animum, nec tantopere timeres, ego tibi darem, quòd alijs: sed cùm non velis, quid vis, ut tibi faciam? & iterum mihi dixit quàm amantissimè: Vellesne habere tentationes? ego verò dicebam aliquantum perplexa: Non, Domine. Respondebat Divina Majestas: Quid ergo vis? Cùm videretur totum permovere meam voluntati, eram confusa, nesciens quid responderem, & quia adeò metuo tentationes, dixi propter illam animi confusionem: Non, Domine. Eram tum, quando ista dicebam, quasi mei impos, audiendo meum Dominum, & amando ipsum ex toto meo corde, & admirando tantam bonitatem, quæ se dignatur ita communicare creaturæ vilissimæ, & omnium, quæ in mundo reperiuntur, abjectissimæ. Post hoc denuò dixi ad Dominum: Si tua Majestas vellet, bene me posset confortare ad patiendum, & faciendum id, quòd alij pro te fecerunt. Et Dominus respondit: Ita, verum est: sed ego te volo ducere, conformiter talento, tibi à me dato; quòd mihi vehementer placuit, siquidem Divina Majestas erat, quæ mihi id dixerat. Et cùm alijs vicibus, ita timendo, ipsi dicerem, quòd ij, quibus contulisset ejusmodi gratias, etiam multa ad ipsius obsequium præstitissent, fuissentque pro illo passim multas tribulationes & persecutiones, retulissentque magnas victorias; & quòd ego in vita mea non fecissem, nec passa essem magna, quòdque hoc mihi incuteret metum, ac redderet dubiam, an bene procederem; Tunc adverti Dominum ægrè ferre, quòd dicebam, adeò ut debuerim illi dicere: Domine, tacebo, nè indigneris, propter tuam bonitatem, quia ego hoc non dico, ut te offendam, cum scias voluntatem

meam esse, ut exequar tuam: Tum mihi Divina Majestas dixit: Veni huc, cùm prædita sis me à gratiâ, nec habeas in tua anima, quòd merito tibi timorem incutiat, neque aliquid tale sentias; quare tot habes dubia ac timores? Hoc tibi sufficiat, nec velis omnia scrutari, atque disquirere. Permitte id mihi, quia ego facio, quòd volo; & si tibi videris non fecisse, neque passa fuisset pro me magna, inde est, quòd tibi talium non dederim occasionem: tu verò desideravisti ex corde omnia propter me, & me solum quæris, ac desideras. Audiens hoc dici à Domino, perfusa fui solatio, atque, opinione meâ, non potui dubitare, quin esset Divina Majestas, quæ id mihi dixerat. In alia simili occasione mihi dixit aliàs: Permitte me agere, ego enim scio, quid mihi sit faciendum: an ignoras, quòd tum Dominus rerum omnium, & possim facere, ac faciam, quòd volo? neque scis, quid ego dixerim de illo homine, qui exivit diversis horis diei, ut vocaret operarios ad laborandum in sua vinea, quòd postea solverit tantum novissimis, quantum primis? tace ergo, & conquiesce.

Hæc illius revelatio de gloria, quam habitum esset, sicut ex ipsamet constat, intelligitur de statu vite, in quo tunc erat. Voluit autem Dominus illam ita animare ad toleranda majora, quòd factum est: quia post hæc illam exercuit terribilibus doloribus, & persecutionibus demonum, preservando illam à peccatis, juxta ejus desiderium, saltem deliberatis, ut consequeretur sublimes glorie gradus, quemadmodum ipsi deinde fuit ostensum.

§. IV.

Ardentia desideria, quibus rogabat Dominum, ut puniret ipsius peccata.

Verum, quando magis illam DEUS solabatur in peccatis ac defectibus levibus, in quos labebatur (quia in hac vita mortali septies in die cadit justus) tanto amplius desiderabat, ut illam Divina Majestas puniret, ac affligeret, propter ipsius defectus.

Dum sic essem constituta, inquit, coram

ram

ram DEO, dixi illi: Bonum meum, nonne mihi præstares tantam gratiam, ut mihi constringeres pedes ac manus, compe-
dibus & manicis, injicerésque collo cate-
nam, ne à te possem recedere, Bonum in-
finitum cordis mei, utque ità constricta, a-
criter ab aliquo castigarer, unde quisque
intelligeret, cui negotium faceffam, qui
est magnus Dominus, & potens, ad puni-
endos mihi similes, unde in posterum re-
sispicerem: quæ mihi ardentissime dicen-
ti, Divina Majestas peramanter respondit:
Id ego nolo facere, non enim habeo cau-
sam; & plura, quàm hoc, patior. Propter
istud responsum, mea anima magis amore
ipsius exarsit, dixi; illi; an, quando quin-
que plagarum millia ipsi pro me fuerunt
inflicta flagellis, fuerit sui ipsius misertus,
cum illas tam libenter susceperit pro mea
salute? Alià vice illi dixi: Estne hoc, Do-
mine, tolerabile, quòd omnes malè agen-
tes debeant puniri, & tantum ego debeam
esse immunis à pœnis omnium mearum
iniquitatum? Quando pro illis satisfaciã,
Domine? puto me promereri supplicia,
neque tamen mihi infliguntur; alij autem,
qui non merentur tantopere puniri, fla-
gellantur, & prostituuntur per publicas
plateas. Vellem Domine, si mihi id per
te liceret, prodire in ipsum forum, & ibi
clamando publicare omnia mea scelera,
ut omnes venirent ad vindictam sumen-
dam de ea, quæ ità offendit Majestatem
sui Domini. Aufer à me, Domine, per
tuam Bonitatem, quod tibi displicet, &
dic, ut me deserant peccata mea. Tunc
mihi dixit Dominus: Fiet; ego id jubebo
fieri. Quia plerumque accidit, ut, quando
habeo talia desideria, Dominus me soletur
aliquo simili responso.

Aliàs in quibusdam magnis anxietati-
bus, ac desolationibus internis, quas pati-
ebar, dicebam ad me ipsam: Ità, ità solve
aliquid eorum, quæ debes: non cogita,
mera tibi expectanda esse solatia, & illu-
strationes Divinas: bene ego dicebam, te
ali & vestiri alienis impensis, atque omnia
esse tui Domini, & nihil tuum, id quod
modo advertis, postquam tibi omnia sunt
sublata, & remanes in tenebris. Hac ra-

tionem me totum conformavi DEI volun-
tati, ut paterer, quidquid ille vellet, dum-
modo ipsi placerem; & quodam die præ-
buit se spectandum oculis animæ Christus
Dominus, tanta cum majestate, ut bene
adverteretur, quis esset: aspiciebam illū,
quamvis non absque magna verecundia;
demittebam oculos, nec ipsi audebam di-
cere verbum, iterumque illum intuebar,
& Divina Majestas mihi nihil dicebat, un-
de magis verecundabar. Dominus autem
incepit fuscitare in mea anima quædam
desideria, & affectus Divini sui Amoris, at-
que ijs mihi abstulit illam meam pusilla-
nimitatem: cumq; ità ferverem, dixi illi:
Ubi fuisti, Bonum animæ meæ, & Domi-
ne mi, tanto tempore? quare fecisti sic?
beneficio, te propter mea peccata abfuisse:
ideoque rogo, ut illa punias in me omnia,
hoc enim volo, nec subterfugiam tuam
manum; nolo enim aliud, quàm satisfacere
tuæ Justitiæ, tibi que placere. Hæc,
& alia dicebam Domino meo, obstupe-
scens majestatem, quam præfererebat.

Paucis abhinc diebus, dixi Divinæ Ma-
jestati magno fervore: Mi Domine; ego
video, mea peccata & scelera esse, ac fuisse
multa, & valde magna; ac desidero ex to-
to meo corde pro illis satisfacere tuæ Divi-
næ Majestati, & pro omnibus agere peni-
tentiam: sed aliunde animadverto, exi-
guas esse meas vires ad perficiendum, quod
tantopere desidero: quid me, Domine,
vis facere? & quis solvet, quod debeo, si e-
go miserabilis non possum? cumque ista
& alia ferventer dicerem, conspexi Chri-
stum Dominum aperientem suum sacrum
pectus, mihi que ostendentem suum fan-
ctissimum cor, accensum, ac totū ardens,
amore suarum creaturarum; & fui clarif-
simè illuminata, ut ibi viderem, quo nos
amavit ac amat, quasi diceret: Aspice!
hoc amore, & isto corde vos complector:
& statim mihi communicavit unam scin-
tillam illius sui amoris, quo meam ani-
mam longè magis accendit, quàm prius
Divino ipsius amore flagraverit; vidique
expressius & clariùs Personam Christi Do-
mini, atque ità illi dicebam: Mi Domine,
qui te non novit, ignorat, quid sit bonum:
quia

quia me experientia docet, hunc Dominum esse magnum Magistrum, sapientissimum ac potentissimum, qui scit ac potest ex malis bona, ex tenebris elicere lucem; esse etiam liberalissimum, & magnificum in adimplendis suis promissis. Cum enim

dixerit, secundum multitudinem dolorum fore consolationes, ego video multo majora esse solatia, & bona, quæ mihi communicavit, quam fuerit tribulatio, & afflictio, quam, ipso permittente, sustinui.

✽✽(5)✽✽

CAPVT X.

Quomodo illam Dominus interdum reprehenderit & castigaverit, propter levissimos defectus, interponens monitis favores; & quid in hac re fecerit ipsius Angeli.



*R*at hæc famula DEI tam rigida erga se in redarguendis suis peccatis, ut potius necesse fuerit illam cohibere: sicut interdum faciebatur ipsius Angeli. Quadam vice, inquit, videbar mihi divertisse modicum in oratione ad res necessarias, concernentes negotia domestica; ita tamen, ut non perderem præsentiam DEI. Indignata sum mihi ipsi, dicendo mihi quædam verba aspera, ut: stulta, stolidi, non te pudet, quod ita distraharis? Venerunt autem ad me Domini mei Angeli, dixeruntque mihi quasi me reprehendendo: Soror, quare dicis talia? R spondi: Domini; sum tam mala, ut me non possim tolerare. Tum illi: Cum te toleret DEUS, ne te vexes, neque affligas. Et ego dixi: DEUS est summè bonus, qui me propter suam bonitatem tolerat, ego autem sum tam mala, qualem me vident. Ipsi verò responderunt: Quandoquidem te tolerat DEUS, tolera te ipsam; quo dicto discesserunt, ac redierunt ad suum quisque locum, ubi ordinariè manent. Non semper tamen DEUS me solabatur in meis defectibus, sed etiam me illorum subinde arguebat quàm asperimè, ita ut coram DEO magis pudefierem, quàm si infami pœnâ publicè afficerer: habent nihilominus aliquid peculiare istæ correptiones, in quo differunt ab ijs, quæ proveniunt à spiritu malo, quod, licet sint causa tam terribilis confusionis & verrecundia, sicut dixi, quia imbuunt clarâ defectus, & sui ipsius cognitione, simul ta-

men relinquunt quandam tranquillitatem, & quietem in anima, non turbando ipsam, nec inquietando, neque movendo ad pusillanimitatem, aut diffidentiam: quin, imò anima timendo confidit, ac tremens comparere, coram suo DEO, ingreditur ad ipsam per portas filialis amoris, & confidentiæ, quod habeat tam benignum & misericordem Patrem, ut quamvis haberet, quâ posset effugere ipsius præsentiam, id tamen non faceret, putetque se, licet illam occideret, speraturam in ipsum. Quadam vice illi dixi: Certè, Domine, quamvis haberes in manu gladium ad me occidendam, non tamen cessarem te amare, & complecti. Divina Majestas mihi respondit: Itane? vide autem, nè ab hoc amore deficias: quod quidem non facies; habeo enim te scriptam in meis manibus, & ego te protego, ac defendo.

§. I.

*P*raterea DEUS, ut magis exerceret suam famulam, aliquando satisfacerebat ipsius desiderio, & jubebat illam puniri, propter levissimas culpas ac defectus, qui non erant nisi imperfectiones ac defectus à natura provenientes. Fuit autem castigata diversis temporibus, & varijs occasionibus, quæ deinceps recensentur: modo referemus nonnulla magis proficua, pro nostra instructione, quæ bene conveniunt cum eo, quod jam naritum est.

Quodam die, ait, post Communionem ita mihi evagata est imaginatio, ut quasi per quadrantem horæ non recorderer me

com-

communicavisse. Quando ad me redi-
 & hoc adverti, puduit me, pœnituitq; ve-
 hementer meæ culpæ, & optavi, ut me
 DEUS castigaret, sicut merebar. Con-
 verti oculos, ut aspicerem meos quatuor
 Angelos, ac vidi illos, quàm modestissi-
 mos, & adverti me subito in spiritu hu-
 mi prostratam, totam laceram, cooper-
 tam pulveribus, carbonibus, ac terrâ:
 quidam etiam, quos puto fuisse malos spi-
 ritus, me terribiliter verberabant, prosternentes me pronam. Dum perseverarem
 in dolore de meis peccatis, venit Angelus
 meus Custos, qui me aliquantum recreavit:
 sed tamen dolor internus non cessavit,
 donec me Dominus visitaret, ac diceret:
 Marina, remissa tibi sunt peccata tua,
 ac tum statim me deprehendi pulcherrimè
 indutam veste quadam pretiosa cæruleâ;
 & elevata ex terra, fui resituta lecto.
 Hinc factum est, ut ultrâ seſqui alteram
 diem paterer gravissimos dolores & cruciat-
 us in toto meo corpore, unâque graves
 cordis angustias, nec permetterer quiescere
 in lecto, adeò, ut biduo non possem sum-
 mere sacram Evcharistiam propter vehe-
 mentiam afflictionis, quæ duravit multis
 diebus. egerebam insuper ab eo tempore
 ex ore quotidie inter vehementes ructus,
 & molestias, cum cibo aliquid illius pul-
 veris ac luti, quod me excruciebat; unde ap-
 pareret, id non spiritualiter tantùm accidisse,
 sicut alijs vicibus, sed etiam corporaliter.

Postea mihi dixit Dominus, ut me sola-
 retur, evasisse me puriorem, quàm fuerim
 prius. Hac occasione illum interrogavi,
 quænam esset felicior anima: illâne, quæ
 nunquam peccavit graviter, an verò, quæ,
 postquam peccavit, resurgit cum præclaris
 actibus pœnitentiæ & fervoris? Domi-
 nus me tunc divertit ab illa cogitatione,
 deinde tamen mihi dixit: Si videres duo
 pretiosa vasa, unum ex auro præstantissi-
 mo, & quàm optimè elaboratum, sed abs-
 que omni ornatu; aliud verò ex auro, non
 adeò puro, sed eleganter arte encausticâ
 exornatum, & gemmis refertum pretio-
 sissimis, quòdnam malles? tum ego dixi:
 Estimabile est vas aureum tam splendi-

dum: ego tamen malle nunquam offen-
 disse DEUM, quamvis haberem paucio-
 res gloriæ gradus, quàm offendisse ipsum,
 & habere deinde plures gradus gloriæ. Do-
 minus autem mihi nihil respondit, sed ta-
 cuit.

*Hoc dicit Venerabilis Marina, & ego arbi-
 tror causam silentij Divini fuisse, quòd est iſe
 Divina Majestas justè permittat istos lapsus,
 quatenus pro sua infinita bonitate elicit ma-
 gna bona ex nostris parvis malis; nos ta-
 men non possumus committere ullum pecca-
 tum, quantumvis parvum, cum spe repor-
 tandi ex eo majoris lucri.*

§. II.

ALiâ vice sum modicum evagata inter
 orandum ad aliquid, secundùm se in-
 differens, & quamvis me ipsam redargue-
 rim propter hunc defectum, venit tamen
 ad me unus ex Dominis quatuor Angelis,
 & admonuit me, ut me prepararem: ven-
 turum meum Angelum Custodem, jussu
 DEI, ad me corripendam. Venit ille,
 exhibens mihi vultum severum, & fui su-
 bitò passâ ecstasim, deprehendique me hu-
 mi prostratam, & erubui, puduitque me
 summè mei ipsius, atque infra me terra
 scatebat scarabæis, & alijs reptilibus. Post-
 quam ità aliquamdiu jacuissem, erecta fui
 ab Angelis, & cum me ipsam aspicerem, vi-
 di me indutam lacerâ veste obsoletissimâ,
 cui adhærebant illa reptilia: deinde me
 intuitus est Angelus meus Custos, & mo-
 do quodam gravissimo mihi dixit, quare
 es ità constituta? quis te induit tali veste?
 tunc fuisti illa, quæ eras elevata ad thronû
 magnæ gloriæ, & noluisti in illo confidere?
 Hunc in modum me increpabat, revocan-
 do mihi in memoriam susceptas gratias, &
 ego erubescere adeò, ut ipsum non au-
 derem intueri. Demum adverti me exiâ
 illo vestitu: & quando ad me redij, reperi
 me in meo lecto.

*Hæc representatio fuit verè quoad modum
 terribilis, quia per illam representatur da-
 mnium, quòd exigua culpa potest adferre a-
 nima, cui DEUS multas contulit gratias:
 nam hæc omnia, non tam significabant da-
 mnium præsens, quàm quòd potest sequi ex
 H mod-*

modica rei incuria, cum propterea anima profertur humi, invadentibus ipsam scambis infernalibus, induaturque vestibus absoletis consuetudinum veteris hominis. In confirmationem hujus rei illi dixit aliquando Dominus, quasdam animas bonas vehementer exagitari à diabolo, datâ ab ipsis occasione: Quia si quis, inquit, audito tumultu in domo vicini, negligit suam, ac relinquit portam apertam, & illuc abit, quid est mirum, quòd intret fur, & ipsam expoliet? Itâ me aliqui deserunt, dum illis loquor, & conferunt se ad percipiendos rumores mundi; ideòque ingreditur hostis, sibi que illos subjugat.

Magis se ostendit zelantem Angelus Custos, ut non solum tolleret culpam, verum etiam illius periculum, & occasionem. Quia intellexerat, audiri quaedam Vallisoleti de ejus sanctitate, & omnia dissimulabat, nihili efficiendo. Quadam nocte, ait, sensi in spiritu vehementer inspirationem, instar acris reprehensionis, cum mihi diceretur me in similibus occasionibus, etiamsi non tentarer à vana gloria, non debere esse absque cura, nec id quomodocunque dissimulare, sed agendum mihi esse cautè & circumspèctè, acsi posset subesse periculù. Deinde conplexi meum sanctum Angelum, vultu severo & gravi, à quo ista reprehensio procedebat. Is me in momento extraxit ex lecto, & projecit pronam ad terram, cui me adeò allisit, ut mihi esset male: Circumdederunt me alij quatuor Angeli, & vidi Christum Dominum non nihil distantem, vultu gravi, quasi approbaret, quod Angelus fecerat. Aliquantò post, potui me erigere in genua, quamvis valde erubescerem coram Domino; Angelus autem mihi inspiravit ferventem actum contritionis ac doloris de commisso defectu, cum firmo proposito emendationis. Post hoc Dominus mandavit Angelo, ut me propius ad se adduceret, & quamvis ego reluctarer, propter meum magnum pudorem, Angelus tamen fecit, quod fuerat jussus, prostravitque me ad pedes Christi Domini, qui videns me confusam, & humiliatam, consolatus est me dicens, quòd sicut palca consumitur intra grandem i-

gnem, itâ consumantur mei parvi defectus, propter magnum amorem, quo erga illum ferebar, & propter multa, quæ patiebar.

§. III.

Alium majorem rigorem, valde tamen salutarem, demonstravit sanctus Angelus: quia cum haberem quandam internam inquietudinem, propter supervacaneos timores cujusdam rei, quæ poterat evenire, reprehendit me Dominus acriter dicendo: Anima quid times? si me habes; quam ob causam affligeris? si perdis confidentiam, perdes omnia: non dico, quòd illam perdas, sed si illam perderes. Post unam deinde horam vidi, quòd præferret magnam indignationem; cum autem adirem Dominum, modo ordinario, ut ab illo peterem lumen, videbatur se mihi exhibere affabiliorem, & mirata sum, quòd illum aliter constitutum viderem ex una, aliter verò, ex altera parte; dixitque mihi Dominus: Quid consternaris? nonne scis, me modò obire officium Patris, modò Medici, & Judicis. Postea sanctus Angelus meus Custos reprehendens severè istos meos timores, me abripuit in spiritu, & quasi indutam vili veste cinericeâ, me constituit coram Domino, ubi ab Angelo percussa in dorso, cecidi prostrata humi, & incepit me accusare dicendo: Ista creatura tua, Domine, cui præstitisti tantas gratias, est illarum immemor, & inquieta propter hos timores, neq; par est, culpam hanc permittere impunitam. Dominus respondit: Estne reprehensa, & penitente illam? Dicente verò Angelo: Itâ. Sufficit, reposuit Dominus. Sed Angelus vehementer instabat, dicens iterum: Domine, nihilominus illi oportet injungere aliquam pœnam, pro ista culpa, ut resipiscat. Tum Dominus: Duc ergo illam ad lacum leonum: & ego intellexi, hoc non esse aliud, quàm tradere me aliquibus diabolis, ut me excruciant. Conversus autem ad me Dominus: Anima, ajebat, acceptasne istam pœnam? cui ego tremens: Itâ, Domine, quia illam mereor. Dixitque Dominus Angelo: Sufficit, si illi dentur

tres ictus in dorso; & sanctus Angelus mihi subito infixit tres ictus, qui me non parum afflixerunt, unde fuit orta quedam membrorum contractio, & cruciatus, qui duravit aliquot diebus. Deinde accesserunt ad me sancti mei Angeli, quibus dixit Dominus: Ferte illam ad lectum, ut quiescat: & collocaverunt me in lecto pulchre adornato & florido, ubi aliquamdiu quievi. Postea ipsis dixit: Ferte illam ad reclinatorium, & inde ad locum, quem vobis designavi; tuleruntque me ad quosdam gradus, quasi summi altaris, ubi cum Domino iterum aliquamdiu quievi; ac deinde me eduxerunt per portam non primariam, sed aliam quandam parvam, & occultam, constitueruntque me in caelesti Ierosolyma, quam ingressa, obviavi Beatissimæ Virgini, unâ cum gloriosis Sanctis Dominico & Ignatio, qui me susceperunt peramanter, dicentes mihi: Bene veneris, Amica: cumque me deduxissent ad conspectum DEI, & frui aliquantum fuissem ejus presentia, libera ab illis timoribus, retulerunt me ad meum angulum.

Post paucos abhinc dies, appropinquante mihi sancto Angelo, sensi quandam naturalem timorem, eò quod recorderer præteritæ castigationis. Tum mihi dixit: Anima, ne timeas, ne me refugias; scis enim, quod ego tibi omnia bona optem & solatia, tecum; amem, ac desiderem tibi magna & extraordinaria, atque eximia bona: & hoc dicto, me apprehendit ac duxit ad Dominum, rogavitque ipsum, ut mihi

præstaret aliquam gratiam exiis, quas solebat, perderemque illam timiditatem. Christus Dominus, cum essem provoluta ad ipsius pedes, mihi dixit: Veni Anima, & ingredere viridarium ac paradysum mei Divini cordis. Ibi mihi manifestavit immensitatem suæ Divinæ Essentiæ, & Attributorum, videbaturque mihi videre in illo horto quasdam quasi arbores refertas floribus, significantibus Divina Attributa, & decerpebam valde ferventer unum ramusculum ex una, & reponebam illum ad sinum; deinde alium ex alia, quem similiter intrudebam ad sinum, atque ita videor mihi collegisse aliquos ramusculos Divinæ Sapientiæ, Misericordiæ, & reliquorum Attributorum. Postea mihi dixit Angelus: Quid est hoc, quod aufers ex Paradiso DEI? cui inde aliquid dabis? quia qui decerpserunt flores in aliquo viridario, solent donare aliquid suis amicis. Ego respondi: Hic habeo, quod decerpsi, ex Misericordia & Sapientia DEI: hæcenus non cogitavi inde aliquid ulli dare.

Paulò post me duxit ad quandam solitudinem, desertum admirabile; ubi nihil mihi videbatur esse aliud, quam mea anima ac DEUS; & tanta ibi cognoscebam, adeoque mihi erat bene, ut rogarem meum sanctum Angelum, ne, postquam me perduxisset ad tam felicem locum, ex eo educeret. *Hoc oportet esse illud Prophetæ: DUCAM EAM IN SOLITUDINEM, ET LOQVAR AD COR EIUS.*

☉)**(☉)

CAPUT XI.

De nimio timore, quo angebatur totâ vitâ, ne pateretur illusiones in suis extraordinarijs vijs; quamque sollicitè petiverit à DEO illuminari, ac de admirandis rebus, quas ipsi Divina Majestas dixit, ut illam redderet securam.



Aquam crucem constantiorē & graviorē toleravit Venenibilis Marina totâ vitâ, inter adeò insolitos favores, qua fuit, terribilis timor, ne in illis deciperetur

à diabolo, & à sua imaginatione, neve idcirco aliquid faceret, quo suum DEUM offenderet: & quamvis visitationes essent tam magnæ & proficue, abundantes tantis solatijs, hi tamen timores, qui illam invadebant, omnem istam attempabant voluptatem.

H 2

tem.

zem, unde faciebat, quod poterit, ut illas evitaret; atque interdum valde letabatur, quando ipsis carebat, adeo ut aliquando dixerit ad DEUM: Bonum meum, si aliqua anima eò deveniret, ut diceret, se nolle acceptare istas tuas gratias extraordinarias, propter suos timores, quid faceres? Divina Majestas illi respondit: Ego nemini confero has gratias contra ipsius voluntatem; quia licet vos velim mihi esse subiectos, nolo tamen vos cogere. Hoc responso habito, veluti convicta, siluit. Inde fiebat, ut, cum inciperent extraordinaria visitationes, vel indicium aliquod illarum, aut signum notaret, subito confugeret ad DEUM; adeo ut oculis fidei illum intueretur presentem, in omni loco, iteraretque preces & oblationes, postulando ab illo lumen ipsius celeste, ad cognoscendas ejusdem veritates, & ne ulla in re deciperetur. Quia verò hoc DEO placebat, ipseque illi inspirabat, nec Divina Majestas, nec Sancti, neque Angeli, qui veniebant ad illam invisendâ, propterea offendebantur, nec abibant, imò illam expectabant, ut perageret suam solitam orationem, cui minimum quadamvis horæ solebat impendere, vel semihoræ, atque aliquando unam, & duas horas, id quod ipsa met declamavit loquendo de se in tertia persona gravissimis his verbis: Quando anima illustrata Divino & vero lumine, sentit præsentiam sui celestis Sponsi ac Domini, qui illi significat, quod illam velit visitare, & consolari extraordinariè, patefaciendo ipsi aliqua sua Divina Mystera, vel secreta, timet ac tremat, & verecundatur, prostrata in conspectu sui magni DEI, quem omnibus suis viribus amat, & cui summè desiderat placere, & à quo humiliter atque magno ardore spiritus, quem illi Dominus communicat, petit, ut ipsam edoceat de suis veritatibus, detque illi suum Divinum lumen: quando ita anima complectitur summum Bonum, & cum illo quasi luctatur, usque dum obtineat hanc benedictionem (quam Divina Majestas nunquam negat ei, qui illam humiliter postulat) invenit se quasi victam à Domino, qui ipsam suaviter inclinât ad acceptandâ gratiam, & visitationem, quam illi vult ex-

hibere: & postquam istam gratiam suscipit, relinquit illam ditatam Divinis donis, quæ nequeunt explicari, & adferunt ingentem pacem ac solatium, ut propterea absque omni dubio credat, suum DEUM ac Dominum esse illius operis authorem.

Hoc scripsit Venerabilis Marina, quando jam erat provecta ætatis, & ego mimbar, dum mihi narraret illam luctam, quæ certabat cum suo DEO, ut sibi impertiretur lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus: quia id faciebat accumulando tot preces, ac tot motiva & rationes allegando, ad eum modum, quo illas allegat Ecclesia in Litanij Sanctorum, ut aliquando erubuerit, reprehenderitque se ipsam, dicendo ad DEUM, quod sibi videretur id exigere, quasi debitum ex justitia. Divina autem Majestas illam est solatus, dicendo ipsi: Est verum, quod titulo justitiæ hoc à me petas: cum enim ego promiserim me concessurum, quod à me peteretur, mansi quasi obligatus ad dandum, quod à me postulatur. Implevit quoad hoc Divina Majestas istud promissum, tam integrè, ut multis annis, quibus ego illi fui in Confessionibus, & cum ipsa egi, semper adverterim, quod illam præferre avertit ab illusionibus. Hic timor partim fundabatur in ipsius natura, que erat meticulosissima, ut dictum est; partim sine dubio fuit speciale donum DEI, sicut ipse Dominus illi dixit quodam die hoc modo: Esto certa, quod nulli creaturæ ex omnibus, quas duxi per vias extraordinarias, dederim majus donum timoris, quam tibi. Causas verò, cur illud ipsi dederit, declamavit orationibus, quas illi dicebat, ut illam redderet securam, quod non sit illusa, neque unquam esset illudenda.

§. I.

Quadam vice, ait ipsa, dixi ad Dominum: Bonum meum, & Domine mi, quales sunt hi timores, qui me affligunt, mihiq; tremorem incutiunt? Quid me vis facere, ut tibi placeam, ac satisfaciam? Respondit Dominus: Nihil refert, quod habeas istos timores, quia per illos te reddo securiorem, sicut es, & propterea non omittis facere, ac dicere, quod volo.

Dic

Dic mihi, si viveres absque istis timoribus in hoc mundo, & sine ista cruce, quid tibi deesset? & quid scires pati? Cùmque me aliquando multum angerent, dixi Divinæ Majestati: DEUS mi, & Domine mi, quomodo me relinquis in manibus meorum inimicorum? & respondit mihi quàm amantissimè? Quid dicis, Anima? ego te certè non relinquo nisi in brachijs crucis, cui ego affixi mea brachia; significans mihi istos timores, esse crucem, cui me ipse affixisset. Magno me affecerunt solatio hæc verba Domini; dixi tamen illi statim: DEUS mi, & Domine mi, optimè fit, quod dixisti, ideò sis benedictus: Dic mihi nihilominus Domine; nōne est melius, ut anima perveniat ad pacem, quæ reperitur in te, ac tantam tranquillitatem, ut ipsam nihil amplius audeat infestare, nec illius passiones, nec natura, neque diabolus, utque non amplius pugnet, ac tu solus cor possideas: nōne hoc esset melius, mi DEUS? Respondit Dominus: Adverte, quando ego ex mea bonitate, & ob alias justas causas, exhibeo eum favorem, & gratiam animæ, quæ illam meretur, ut ipsi dem istam pacem ac tranquillitatem, de qua tu loqueris, esse bonum, ac donum, & munus meum: tamen, quæ non est assecuta hæc specialia dona, si pro illis obtinendis impendit laborem manuum suarum, adjuvante ipsam meâ gratiâ, ac decertat, & patitur, multo se excellentius gerit; quia ista laborat, pro consequendo thesauro, illi verò alteri confertur ex gratia: adverte præterea, in tali statu animæ, qualis est tuus, id, quod vocas passiones, ac defectus, esse opus meorum incomprehensibilium iudiciorum; ut humilietur anima, & conservetur in subiectione, sitque dedita mortificationi, tum ut magis augeatur ipse premium, & mea gloria, tum etiam, ut præbeat exemplum utile, meis fidelibus amicis: hoc est, quod agitur in tua anima: Quid te vexas, & affligis? esto bono animo, & quiesce in me.

§. II.

Dum aliàs agerem cum Domino aliquantum confusa meis timoribus,

dixi illi, ea, quæ Divina ipsius Majestas mihi dicebat, & mysteria, quæ mihi revelabat, esse ejusmodi: ut licet credam absque omni dubio, quidquid mihi dicebatur, & videbam, tamen quodammodo timeam & metuum, quòd mihi Divina Majestas conferat tantas gratias, cùm ego sim, quæ sum. Respondit mihi Dominus: Anima, si credis meis verbis, & veneraris mea Mysteria, irà sicut dicis ac facis, quod ipsum ego volo, ut cunq; timeas ac metuas, quare vis tibi à me auferri turrim & murum fortem, sancti timoris mei, ac circumspeditionis, quæ custodit ac defendit animam ab omnibus telis ac fraudibus diaboli, & repræsentationibus phantasæ, alijsq; hujusmodi rebus; quæ tela diaboli, dum illa vult jacere, ut animam decipiat per illusionem, resiliunt & revertuntur ad illum cum ingenti confusione, rubore, ac damno ipsius: & similiter, quare vis tibi à me auferri coronam crucis, quam pateris, vivendo cum timore, & tremore, ac sancta circumspeditione, quandoquidem etiam vis, certam habens & securam in me spem: noveris præterea, animam, quæ id non haberet in specialibus vijs, & extraordinarijs exercitijs, victuram in magno periculo, ne deciperetur à demone, & à sua propria imaginatione.

Alià vice, cùm mihi Dominus aliquid dixisset, angebar meis timoribus, confiderans, essetne DEUS, qui mihi loquebatur, & dixit mihi Divina Majestas: Quid habes, Anima mea? quid sentis? Ego sum tuus DEUS; ego sum, qui loquor; quid times? Respondi illi: DEUS mi, & Domine mi, vivo cum timore ac tremore; quia denique sum in eo statu, ut decipiar, & non intelligam, atque cognoscam te, id quod ego, propter nullam rem creatam, nec propter cælum, neq; propter terram, vellem contingere, ut te vel in minima re offenderem. Hæc est, Domine, mea anxietas, & mea cura, in qua vivo, sicut scis. Reposuit Dominus, modo quodam sublimissimo, suavissimo, & efficacissimo: Anima: non decipietur, qui non voluerit decipi, & ambulaverit in veritate coram me: quod cùm ita sit, non habes, cur timeas.

H 3

Hoc

Hoc Dominus taliter dixit, ut mihi mirabiliter satisfecerit quoad istam veritatem, atque sic fui animata.

Dum aliàs magno affectu agerem cum Domino, dixi illi: DEUS mi, & Domine mi, unum S. & clavum pone in meo corde; quia desidero tota esse serva, & *scilicet* Domini. Divina Majestas mihi respondit amabilissimè, & blandissimè: Anima, jam pridem hoc feci, & tota es mea. Tum ego repositui: Quomodo ergo, mi Domine, sum tam mala & miserabilis, ac tam parùm profeci in omnibus pertinentibus ad tuum servitium? Dominus autem mihi respondit valde affabiliter: Ne ideò solliciteris, Anima mea; quia verè tibi dico, quòd te habeam scriptam in libro vitæ, quòdque per mea auxilia & subsidia proficias ex favoribus, & gratijs, quas tibi præsto. Respondi denuò Domino, ac dixi: DEUS mi! cum ità sit, quomodo vivo cum tantis timoribus, ne tibi displiceam, teque offendam? & sum adeò meticulosa, propter vias tam extraordinarias, per quas me ducis, ut vivam afflicta ac anxiosa? Sed Dominus mihi respondit: Bene sic fit: nōne tamen inter istos timores, in quibus vivis, has veritates agnoscis? Iste tuus timor est filialis, qui etiam in cœlo habetur, quia timor Domini manebit in æternum. Ego optimè scio condire, quæ in speciem sunt contraria, quamvis non sint; & conjungere istum sanctum timorem; quem habes, cum veritate, quam tibi manifestavi; quod tibi satis constat. Hoc me magno solatio affecit, & confortavit in Domino.

Alià vice agendo cum DEO, conquerens de me ipsa, dixi illi cum magno pudore: Domine mi, & DEUS mi; jam tot annis sum prædita usu rationis, & toto hoc tempore, cum tu mihi contuleris tot ac tanta beneficia tam ordinaria, quàm extraordinaria, dederisque tot ac tantà auxilia pro meo profectu, debuisset meritò anima mea plurimum profecisse, ac esse libera à passionibus, & excessibus naturæ, atque à tot peccatis, quibus sum obnoxia. Divina mihi Majestas benignè respondit ac amanter: Quid facis peccatrix? quæ causa

est tuarum querelarum, ac tui doloris? quia in bona & veraci voluntate, atque sano creaturæ eorde non possunt habere locum talia mala, de quibus te, tanto cum dolore accusas: siquidem sicut non est signum, radicem arboris vel vitis esse malam vel putridam, propterea quòd progerminet ramos, vel stolones supervacaneos & superfluos, procedentes ex alijs causis, quos suo tempore veniens putator diligenter recidet, ut fructus arboris sit uberior, & utilior; ità ex sano corde, & bona voluntate creaturæ erga suum DEUM, qui est fundamentum & radix arboris, vel vitis, proferentis veras virtutes, & bonum spiritum, atque perfectum amorem sui DEI, non potest provenire quidquam mali, aut noxii. Quòd si hæc arbor germinet ramos supervacaneos & superfluos in speciem, illi oriuntur ex alijs causis; putator autem, cultro mortificationis resecat sollicitè istos ramos, & illos destruit, atque comburit, si opus sit, mortificando has superfluitates, quæ sunt passionibus inordinate, & affectus naturales, in eoque multum laborat, ut ita fructus sit major, utilior, & uberior.

§. III.

In duplici occasione vehementer agebatur iste anxietates ac timores. Una fuit, quando ipsius Confessarius illam reprehendebat propterea, quòd esset in ijs nimia, permittendo se ductui naturæ; cum enim ipsi plurimum crederet, imaginabatur sibi, se ideò multos ea in re commississe defectus, displicentes DEO, cui sic aliquando locuta est:

DEUS mi & Domine, mihi & Confessario meo videtur pessima esse mea natura, qualis ergo videtur esse tibi: nōne abominabilis? Respondit Dominus: Non videtur mihi, neque videri potest malum, quòd ego facio; neque natura, quam ego do meis creaturis, quæ est accommodatissima, ad illarum bonum & commodum, atque ad id, quòd ego ab ipsis volo; sed nec ea, quæ ego ipse denuò, & sine culpa naturæ ipsarum, ijs offero ac permitto illis evenire, pro earum exercitio & profectu, aliisque bonis, quæ inde eliciuntur:

Hoc

Hoc quidem, aiebam tum ego, bene credo, mi Domine, non posse videri malum: sed bene etiam mihi persuadeo, peccata ac defectus, quos in his occasionibus committo, non nisi summè tibi displicere: Bono esto animo, dixit Dominus, quia si in occasionibus, de quibus loqueris, committis aliquos defectus, ego ex illis multum pro te elicio utilitatis, propter tuam bonâ dispositionem, & ideò illos permitto; atque, sicut exiguæ paleæ in præsentia infiniti ignis; ità illi coram mea bonitate percutiunt, ac disparent: & tua naturalis inclinatio summè mihi placet, estque aptissima ad id, quod à te volo; sicut aliàs tibi dixi, pro tuo solatio, & propter tuam necessitatem, in qua eras constituta; ideòque non est, cur turberis, vel affligaris, quòd exercearis & reprehendaris à tuo Confessario: permittit illum exequi suum munus, habet enim bonam intentionem, ac adverte, ne concidas animo, quia tui defectus, si eos habueris, non possunt esse majores, neque minores propterea, quòd illos reprehendat Confessarius, vel omittat reprehendere: quales sunt coram me, tales erunt. Cùm tamen hæc omnia, propter occulta iudicia DEI, qui id permittebat, non sufficerent, ad auferendam mihi crucem internam, & afflictiones, quas patiebar, dixit mihi Dominus, modo quodam Divino, & amabili: Anima mea, quid tibi est? quæ est causæ tuæ afflictionis? amo enim te, neque me offendisti: veni mecum, & quiesces modicum, docebo te quoddam secretum mei cordis, ob quod in me recreaberis: atque dum hoc diceret, univit me secum, invenique me in peatore Patris æterni, ubi mihi ostensum fuit clarissimè & manifestissimè, pro meo capru, mysterium Beatissimæ Trinitatis, ac æterna Processio Verbi Divini, quâ procedit à Patre, & quomodo ab istis duabus Personis Patre & Filio, per amorem quendam æternum ac infinitum, quo se amant, procedat Divina Persona Spiritus sancti. Mansi satis diu in ista cognitione, cum extraordinaria admiratione: Magis tamen stupebam, quomodo Pater, intelligendo & comprehendendo se ipsum, produceret Verbum Divinum: &

aliquantò post, per quendam raptum, fui unita DEO, unde factum est, ut magnâ ex parte còquiesceret illa turbatio, non tamen integrè, permittente id Divinâ Majestate, pro meo majori exercitio, ità ut mihi non prodesset, quidquid ageret meus Confessarius, volens mihi satisfacere, ut me redderet quietam. Tunc mihi dixit Dominus: Ne te affligas, Anima, sed tolera istam crucem cum reliquis, quas tibi ex amore offero, quamvis hanc, quæ tibi denuò præbetur, non merearis; offer illam mihi, & ama in me, ac reverere tuum Confessarium & Patrem spiritualem, sicut facis; quia mihi in hoc places, & placebis.

Ex ista revelatione, est advertere, quomodo DEUS fuerit solitus permittere istas cruces & afflictiones, ut ex illis sumeret occasionem, præstandi suæ famule magnas gratias, nobisque præclaras daret instructiones, ne errarem.

Altera occasio, in qua augebantur afflictiones ac timores, erat, quando ipsius Confessarius dubitabat de quibusdam rebus, quas illi recensebat, quia hoc illi sufficiebat, ut sibi imaginaretur se esse illas, ideòque cum his dubijs recurrebat ad DEUM, qui pro infinita sua sapientia ad ea respondebat, adferendo illi motiva, ad eam placandam, & quia ipsa vehementer sollicitabatur, ut illorum recordaretur, eo fine, ut eadem referret suo Confessario, ipsique satisfaceret, dixit illi Dominus quâdam vice: Ne te superflue fatigas, ut velis omnia Confessario narrare, quæ tibi dico, reddendo illi rationem eorum, quæ tibi contingunt, quia noveris, quòd quantumcunque illi dicas, denique, tanquam homo, nequeat penetrare omnes veritates abditorum secretorum animæ, atque ità non possit, in aliqua re, non hæsitare: tu tolera istam crucem, amore mei, quia & aliæ animæ illam toleraverunt: quia imò te moneo, ne nimium solliceris, ut velis tuo Confessario satisfacere in his rebus, putésque, quòd, nisi ipsi satisfiat, non possit mihi satisfieri; siquidem, ut tibi dixi, cùm sit homo, non potest assequi semper veritatem harum rerum internarum, sicut ego illam scio, qui sum DEUS, potestque sæpe dubitare, ubi non

est

est dubitandum, ac proinde, quin illi satisfiat, potest mihi satisfieri.

Hoc ipsi dixit Divina Majestas, ut reprimere supervacaneam afflictionem, non verò congruam sollicitudinē, de reddenda conscientia mentione Patri spirituali. Postremò, postquam illi DEUS dixisset quidpiam, ita illam reddendo interne certam, ut ei non potuerit remanere dubium, esse DEUM, qui illud dicebat, ad eum modum, quo dicit Sanctus Thomas, redditos fuisse ab ipso certos Prophetas, se esse eum, qui illis loquebatur, &

talia revelabat, addidit: Ista tibi modò dico, cum tanta certitudine, ut sic tibi auferatur aliquid de nimio timore, ac dubio, quo subinde angeris, an ego sim, qui ordinariè tibi loquor, utque intelligas, quòd, qui tibi ista dicit, dicat etiam cetera, quavis tibi non videaris habere tantam certitudinem. Multa alia illi acciderunt non solum cum Christo Domino, sed etiam cum ipsius Angelis, & Sanctis quoad hoc ipsum, qua suis locis afferentur.

☩✠✠☩

CAPVT XII.

De ejus Puritate, & Castitate, deq; circumspectione, quã agebat etiam cum Angelis, & Sanctis, & quomodo se illius voto obstrinxerit.

Puritas anime, de qua dictũ est, magis elucescit per puritatem corporis, quam vocamus Castitatem, eoque amplius, si sit perpetua, qua nullo nomine dicitur Virginitas. DEUS Dominus noster dedit huic suæ Famule, jam inde ab ipsius infantia, singularem affectum, ad illam perpetuo servandam, cum speciali quodam ac raro privilegio, ut caro, quoad hoc, non rebellaret spiritui, sed semper illi esset subjecta: quòd verò illam asperrimè tractaverit in sua juventute afflictationibus, non tam hoc faciebat, ut coerceret ipsius rebellionem, quàm ex sui odio, quòd, id solet inspirare DEUS pro conservando isto dono, uti apparuit in Sancto Joanne Baptista. Verùm aliam gratiam, non minus raram & singularem illi præstitit, præservando ipsam à molestijs, tentationibus, & persecutionibus, quas contra hanc virtutem suscitant demones, ita ut quamvis assumerent horrendas figuras bestiarum, & truculentorum hominum, ad illam terrefaciendam, & cruciandam, dicerentque ipsi enormes contumelias ac blasphemias, nunquam tamen illis dederit DEUS facultatem exercendam alicujus actionis, commissa, vel profertendi verba turpia, qua potuissent Virgineos ejus oculos & aures offendere, præservando

illam ab ista molestia, licet ipsam permitteret pati alias majores. Præterea dedit illi quandam modestiam naturalem, & inusitam circumspectionem, ita ut quando prodibat ex domo ad templa, vel aliò, prout illi DEUS præcipiebat, vel inspirabat, semper ambularet intra cellam sui cordis, cum assidua collectione, atque tali modestia, gravitate, & quiete, ut nemo illi auderet dicere quidquam indecens, & omnes componeret.

§. I.

De ejus circumspectione, quã agebat cum Angelis, & Sanctis.

Quod magis manifestat exactam hujus Virginis puritatem, est circumspectio, quã agebat cum ipsis Angelis, qui illi semper aderant, quod etiam disciebat ex eorum exemplo. Non intruebat ut ipsorum vultum, nisi mirisimè & obiter, observans in hoc non solum reverentiam, quam illis debebat, verùm etiam cautelam, ad quam à sua Virginali puritate ferebatur. Diverso item modo aspiciebat Sanctos & Sanctas, atque eos, qui ipsi comparebant in specie infanti, vel aate provecita, gerendo se cum omnibus eà modestiã, quã decebat, ut se gereret cum talibus personis, adeò ut nunquam in ista

visti.

visitationibus, quæ fuerunt innumerales, habuerit quidquam dedecens hanc eandem ipsius puritatem. Quando in lecto decubebat tam debilis, ut se non posset erigere, nec vertere ex uno latere in aliud, accedebant, quotiescunque eorum operâ indigebat, ad illam iuvandam sancti quatuor Angeli, & Angelus ejus Custos, summa cum honestate, ac decencia: quamvis enim illi inservirent in ea apparente forma, suis brachijs, iuvabant tamen ipsam modo quodam spiritu-ali, & Angelico, ita ut non sentiret contactum corporis humani, utque quam vercundissime averterent vultus: quod si aliquando adessent ejus sociæ, prabaturæ ipsi auxiliû, quò se erigeret, illi statim recedebant, donec jam id animadvertens, ipsas dissimulanter moneret, ut se modicum relinquerent; ac tum subitò revertebantur Angeli, quibus adjuvantibus quam facillime assurgebat.

Quadam vice, inter alias, accedens ad eam Angelus Custos, ut illam probaret, constituit se è regione ipsius, converso suo vultu ad vultum Marine, ita ut illam posset, præter morem, fixis oculis intueri: fuit idcirco turbata, obstupescens, quod eo modo sibi tam vicinus staret, quasi dubitaret, essetne verus Angelus, qui id faceret: sed ille cognovit ipsius cogitationem, dixitque ipsi: Plurimum mihi placuisti propter hanc tuâ verendum, & follicitudinem, quam ostendisti; ego enim hoc feci, ut te probarem, & viderem, quid ageres. Persevera semper in ista circumspeditione.

Aliàs, cum haberet brachia extra rogam, vellèretque illa in ipsam imponere, neg. id posset facere ob suam debilitatem, accessit Angelus minimus, qui præsertim speciem biennis pueruli, ut eam iuvaret, ipsa verò retraxit brachia, & noluit iuvari: dixitque illi Angelus: Quid times? ego enim non sum caro, sed spiritus, & licet essem præditus carne, ob ætatem tamen in qua me vides, tibi non esset timendum. Idem illi evenit aliàs, quando ipsam vistorerunt tres sancti Patriarchæ, quibus erat addicta. Ingressus est primus sanctus Franciscus, postea sanctus Pater Noster Ignatius, ac deinde sanctus Dominicus. Cum, inquit ipsa, sanctus Franciscus processisset amantissimè, pervenisset

que ad me, extendit manum, quasi attretaturus meam: fui vehementer turbata propter solum illum gestum, retraxiq; me celerrimè, ac si esset homo mortalis, qui id vellet facere. Ipse autem subrisit, ac dixit: Quare turbaris? An ignoras, hoc non esse verum meum corpus, sed umbram & figuram illius, quod habui, quam assumpsit meus spiritus? Ità recessit, ac appropinquavit sancto Ignatio, intuendo ipsum cum quodam risu, quasi illi diceret, ut consideraret, quid contigisset, & quam bonum fuisset illud experimentum. Sanctus Pater Ignatius autem respondit: Admiranda est puritas hujus creaturæ, quoad istam materiam Castitatis. Propter hoc Sancti responsum, fui turbata, & magis afflictâ, quasi me puderet illius dicti, quod audiveram. Sanctus Dominicus me animavit, & reliquit plenam solatio.

§. II.

Obstringit se voto Castitatis.

TAm firmiter decreverat servare perpetuam Castitatem, ut ei non venerit in mentem, consecrare illam, & confirmare voto, donec ipsam DEUS post completos quadraginta annos ætatis illuminavisset, id esse melius, sibi que magis placere: atque tum collato mecum consilio, hoc fecit in Festo Nativitatis Anno 1595. quod inscripsit his conceptis verbis: Ego Marina de Escobar, Filia Doctoris Jacobi de Escobar, & Margaritæ Montanæ, quæ fuit ejus Conjux, promitto DEO omnipotenti, & JESU Christo Domino nostro, sanctissimo ipsius Filio, ac Redemptori Nostro, coram Sacratissima Virgine MARIA, Matre DEI, & Domina nostra, ac omnibus Sanctis Curia celestis, quos suscipio pro meis advocatis, & intercessoribus, nunquam agnoscere alium sponsum, & servare castitatem totâ vitâ meâ, id quod implebo & observabo, sanctissimâ ipsius gratiâ adjuvante. Retuli hoc adeo minutatim, ut inde intelligatur, similia vota Virginum, quibus manendum est in saculo, ubi majora reperiuntur pericula, inspirari à DEO, quando sunt mature ætatis, & experientiâ didicerant, quas

habeant vires ad vincendum tentatorem; idque postquam bene expenderunt, quid agant: quāvis hujus rei non possit dari certa regula. Placuit tantopere DEO hac oblatio, ut, sicut ipsa promissit, se non assumpturum alium Sponsum, itā Divina Majestas paulo post illam mirabili quodam modo sibi desponsaverit, ut brevi videbimus.

§. III.

Obtulit DEO tria dona, quæ representabant Castitatem, Humilitatem, & Charitatem.

Quod mirabilissimum habuit Castitas hujus Virginis, fuit perpetuus comitatus, quem illi adjunxit, duarum præstantiū virtutum, Humilitatis & Charitatis, quæ provenerunt, ut est dictum, ex profunda sui ipsius, & ex sublimissima celestis Sponsi cognitione. Atque sine his, utpote sibi proprijs, nunquam consueverunt vivere Virgines sapientes & prudentes, quibus non sufficit habere ea, quæ extrinsecus apparent; quod nolint esse similes Virginibus fatuis, quibus non est cura de interiore statu anime, tamesi illam habeant vacuum oleo, & igne celestium virtutum. Taliter obtulit ista Famula DEI suam Castitatem Domino, qui à se acceptari istud munus ostendit gratiosā & plenā mysterijs visione, quam ita recenset: Postquam DEUS commovisset ac sufficitavisset in mea anima ingentes fluctus ac diluvia sui amoris, excitavit etiam in illa quosdam affectus, qui videbantur oriri & coalescere ex multis ac diversis causis, videlicet ex clara cognitione DEI, ipsiusque veritatum & attributorum, nec non miseriæ & indigentia humanæ, ac aliarum ejusmodi rerum. Propter istos affectus erumpebam in hæc tantum verba exteriora, quæ sapissimè repetebam, dicendo: Da mihi aliquid Domine, da mihi aliquid; & hoc egi multis septimanis; sed quodam tempore matutino, quasi non advertens quid loquerer, dixi: Ah! Domine mi, & Bonum infinitum meæ animæ! quid tibi dico, Domine, da mihi aliquid, quia hoc aliquid, quod à te peto, scis esse multum? nescio, an mihi id dederis, & tamen

crede mihi, Domine, me tibi verum dicere, quòd, si tu à me aliquid peteres, & esset meum, quidcunque demum foret, statim tibi id darem, quàm promptissimè, & ex toto corde. Dum huic affectui essem intenta, haberemque oculos animæ defixos in DEO, Divina Majestas dignata est designare suos sacratissimos, in ista sua ancilla, & gravi quodam, suavi ac benigno modo dixit, appellando me nomine meo: Marina, quandoquidem ita se res habet, sicut dicis, da mihi aliquid, & repetendo eadem verba iterum, dixit Dominus Majestatis: Marina, da mihi aliquid. Cui ego miserabilis, plena verecundia & confusione, respondi: Tu bene novisti, mi Domine, meam vilitatem, exiguitatem, & paupertatem, ut propterea non habeam necessitatem in me quidquam, quod tibi possim dare & offerre, ut te possit delectare. Audivit Dominus meum miserū responsum, dixitque denuò: Eja, Marina, excogita aliquid, quod mihi des, da mihi aliquid. Ego, confederatā meā paupertate, & amabili perseverantiā Domini, me verti, ut aspicerem quatuor Angelos, qui mihi assistunt, quasi vellem ad illos confugere, & ipsos rogare, ut mihi succurrerent in ea occasione: ipsi verò dato mihi quodam gravi signo, dicebant: ut me ab illis averterent, ageremque cum Domino. Quare converti ad Divinam Majestatem, rursum dicebam: Domine, nihil habeo, quod tibi possim dare, quia sum pauper: hoc meum cor & animam, quam tu mihi dedisti, cum reliquis omnibus, quæ à te accepi, pridem tibi dedi, & obtuli, ac deposui ad tuos pedes, ut de omnibus disponeres juxta tuam sanctissimam voluntatem; tamen si ista nunc denuò vis, cum omnibus eorum miserijs, ac defectibus, omnia tibi denuò offero. Tunc mihi respondit Dominus: Bene loqueris, & acquiesco tuis dictis, quæ me plurimum delectant; impone tamen nunc tuam manum dextram ad tuum pectus atque cor, & offer mihi, ac da, quod ibi inveneris. Postui itaque manum meam ad pectus, sicut eram jussa à Domino, & inveni in illo nummum tantæ magnitudinis, quantæ est parva v-

la ma-

lâ manûs, quem exemptum vidi esse ex purissimo auro, & splendidissimum, in quo erat exaratum atque expressum opere encaustico quàm elegantissimè quoddam symbolum lucis, ignis, & sanguinis. Attonita ego & obstupescens, dum rem tam miram viderem, prosternensque me humi, & mox consurgens, obtuli illam ac posui ad manum Domini, quam ipse extendit ad nummum suscipiendum, servavitque illum in suo sacratissimo pectore, & subito exorsus est iterum dicere: plus habes, quod mihi manu tuâ offeras, Marina, quare secundo ac tertio in eodem loco, & offer mihi, quod ibi repereris. Posui denuò manum ad locum, ad quem illam prius posueram, & exeni secundo alium nummum ejusdem quantitatis, & magnitudinis, aspiciensque illum cum magna verecundia, & confusione mea, vidi esse similiter splendidissimum, & pulcherrimum, inauratû, candidum & suicum, materiæ, mixturæ, & coloris terrestris, atque in ejus medio conspexi signum & symbolum vilitatis, miseris, ac paupertatis. Obstupescens vero ego, & quasi absorpta, dum viderem tanta opera DEI, humi prostrata eodem modo, quo prius illum obtuli Domino; quem Divina Majestas suscepit, posuitque, ubi posuerat priorem. Et cum iterum imponerem manum ad pectus tertio, sicut mihi Dominus mandaverat, inveni tertium nummum, qui erat ejusdem quantitatis, ac magnitudinis cum primo & secundo, splendidissimus ac pulcherrimus, purissimus & candidus instar nivis, ex metallo crystallino & inaurato, eratque in eo insigne & figura Puritatis, atque Castitatis. Hunc tertium obtuli Domino eodem modo, quo primum ac secundum, cum ejusdem animæ affectibus; & Dominus illum suscepit, posuitque in suo sacratissimo pectore, sicut duos priores, ostendens, propter suam bonitatem & clementiam, speciale sibi exhiberi obsequium, & singulariter gratum, oblatione illorum trium munerum; statimque his peractis fui abrepta in ecstasim, plurimumque mirabar, præsentente Majestate Christi JESU Domini Nostri, qui non discessit, neque abivit ex

loco, in quo tunc erat Divina ejusdem Majestas: atque ego non nihil mihi reddita post illum raptum, animo revolvebam, & considerabam, quale & cujusmodi fuisset illud mysterium ac oblatio eorum nummorum; qui eatenus non sciebam, nec intelligebam illos esse tam admirabiles. Sed Dominus qui aderat, cognoscens & intelligens, quid ageretur intrâ meam animam, respondit meæ ignorantis ac difficultati, dixitque: Marina, tria munera mihi obtulisti in illis tribus nummis, quos ego tibi prius dedi, & tu accepisti, custodivisti atque conservavisti in tuo corde & anima, quàm optimè potuisti. Nec sunt aliud, quàm tres illæ virtutes, quæ mihi summè placent, meque valde oblectant, Caritas, Humilitas, & Castitas, cum Puritate animæ quas representabant, & significabant tres illi nummi aurei, primus, secundus, ac tertius, quos mihi dedisti, dedicando omnem tuam voluntatem & opera meo obsequio, & ego suscepi cum tanto affectu, atque gustu, quæ admodum à me illuminata intellexisti. Ut autem tibi aliquid rependam, teque remunerer, quod bene fueris usa primâ gratiâ & favore, quem tibi exhibui, donando tibi illos nummos, quodque illi responderis, restituam tibi ipsos, denuò te juvando ex mea bonitate & gratia, ut mihi illos reddas puriores, nitidiores, & gratiores meis oculis, quàm eos antea habueris: respicio enim nova desideria, quæ tibi ego dedi, & voluntatem, quâ etiam denuò respondisti: offerendo mihi non solum quicquid es, & quidquid habes, ac à me accepisti, verum etiam alia multò plura, si quæ haberes, & posses mihi offerre, sicut mihi dixisti, antequam offerres nummos: statimque postquam Dominus mihi hoc dixisset, ego indigna ipsius serva id audiens, cum magna admiratione & solatio meæ animæ, attolens oculos, inspirante DEO, vidi, ex pectore & corde Christi Domini, qui erat remotus à me circiter sex vel octo passibus, & aliquantum elevatus, prodeuntes quosdâ Divinos, lucidos, suaviter ardentes & coruscantes radios, qui suis cuspidibus feriebant meum cor & pectus; quod admirabiliter, DEO disponente, suscipiebat, &

colligebat in se virtutem illorum divinorum & admirabilium radiorum, usq; dum placuisset Domino, ut cessarent emanare, neque amplius prodirent ex ipsius sacratissimo pectore & corde, eo modo (ut ruditer loquar) quo infans suscipit radios lactis ex pectore suæ Matris. Finito isto mysterio Dominus abivit ex eo loco, & throno, in quo circumdatus ab innumerabilibus Angelis federat, meâ opinione, spatio duarum circiter horarum, impertiens mihi suam sanctam benedictionem, & relinquens me plenam folatio, humiliatam & attonitam, quod viderem talia miracula, ac tam magna opera DEI, quæ ex sua Bonitate, & incomprehensibilibus judicijs operatur in nobis pauperibus, & indignis creaturis suis.

Refertur similis visio Seraphici Patris Sancti Francisci, cuius sinui Dominus imposuit tres aureos nummos, qui representabant tria vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiae, ut illos ipsi offerret. Circumstantie huius presentis oblationis illam reddunt verè prorsus mirabilem. Quis enim non miretur

tam amabile certamen anima ac DEI, dum petit ac dat DEUS anima, quod sibi vult ab ea dari, suscipitq; ab ipsa, ut illi idem restituat cum lucro? cui non placeat significatio tam mirabilium nummorum? vtri colores, quibus depinguntur he tres virtutes, & locus, quem obtinent in pectore ipsiusmet Christi Domini, atque matris, qui prodeunt ex intimo ipsius pectore, ubi illos reposuit, ut eodem magis elaboraret ac perficeret? quæ omnia attestantur immensum DEI amorem erga animâ, ut anima diligat suum DEUM dilectione tam forti, ut profundat pro ipso suum sanguinem, ac tam profundâ reverentia, ut se humiliet usque ad terram, nec non tantâ castitate & puritate corporis ac spiritus, ut excedat candorem nivis, nitorem crystalli, & pretium auri. Verè, DEUS æternæ, admirabilis es in tuis electis, ac admirabilis est amor, quo illos prosequeris, & ea, quæ in illis operis. Felices illos, qui accipiunt à te id, quod tibi vis ab ipsis dari, atque tibi dant, quod à te acceperant, quia idem recipiunt cum tanto suo emolumento.

☩ * * ☩

CAPUT XIII.

De magna fame, quâ anhelabat ad communicandû quotidie, deque illius causis, & quomodo DEUS interdum ipsius desiderio satisfecerit modis miraculosis.



Incredibilia erant ardentissima desideria, quæ DEUS communicavit suæ Famule, ut frequenter sumeret sanctissimû Sacramentum Altaris, cum fame adeo insatiabili, ut non posset aliter expleri, quàm quotidie communicando, remaneretq; magis famelica, ut communicaret postridie. Proceperunt hac in re ipsius Confessarij pedetentim, concedendo illi istum celestem panem, imprimis quovis die octavo, vel bis intrâ septimanam; deinde tertio quoque die, donec rationabilissimè judicarent, posse illi dari quotidie, hunc panem quotidianum, qui propter similes personas vocatur panis quotidianus: ideoque semper illum sumebat, quam-

diu valebat pedibus, ut frequentaret templum: postquam autem ita invaluerunt morbi, ut multis annis continuè fuerit afflicta, non defuit illi Divina Providentia in suggerendo modo, quo, pro ipsa obtineretur Breve, ut liceret quotidie in Oratorio illius domestico dicere Missam, eique Divinum præbere epulum; quod quidem fiebat, omnibus ijs diebus, quibus illud poterat sumere, sape enim erat tam afflicta, ut dolores & corporis affectiones id non permitterent.

§. I.

Cum hæc fames indies magis augetetur: Quodam, inquit, die, dixi ad Dominum quam confidentissimè: Mi Domine, quæ

quæ fames est ista tam magna, quam semper mea anima sentit, ut te sumat, quia licet te suscipiat quotidie, nunquam fatiatur, & semper te desiderat? Bene ego scio, Domine mi, & Bonum meum, quod ex magno amore, quæ indidisti meæ animæ, oriatur hoc tui desiderium, quia ipsi videtur, & sic re vera est, non esse aliud melius mediū, quo suum dilectum ad se attrahat, quàm ut ipsum accedat in hoc admirabili Sacramento, in quo es tu, meum summū Bonum, & Dominus, ac DEUS, & homo verus, gloriosus, & omnipotens, plenus omni tua Majestate, & Bonitate. Sed quamvis ego id noverim, dic mihi, Domine, per tuam bonitatem infinitam, quænam sit alia causa, quod mea anima te semper efuriat? Respondit mihi Divina Majestas: Præter causam, quam dixisti, & in te experiris, est alia, quam tu non ita advertis, quia dum me anima sumit in Venerabili Eucharistiæ Sacramento, & ego ad illam venio, communicatur ipsi quædam virtus, corroborans illam, & confortans contra omnes suos hostes, ac malas inclinationes, ipsamque sustentans & conservans, ac promovens in vita spirituali. Præterea ego illi hanc miseriam unâ exhibeo, ut fiat particeps meorum meritorum, utque ibi ipsi applicetur virtus meæ Passionis, quæ est infiniti valoris. Atque ita tua anima, dum occultè sentit hæc bona, iisq; fruitur, quæ ibi illi communico, vivit etiam cum hac fame ac desiderio mei semper sumendi, quamvis tu non habeas nisi amorem, quo me amas ac desideras, & propter quem solum, non attendendo ad alia tua commoda, præterquam ea, quæ congruunt huic amori, quo me solum prosequeris, magis ac magis ad me venire desideras, ut sis mihi magis unita. Propter hæc verba obstupui, & fui attonita, atque exarsi amore Domini, qui tam suaviter mecum loquebatur.

His duabus dictis causis, tanta famis communicandi frequenter, addamus aliam, utpote fidem tam vivam & illuminatam, quàm habebat, quod sub eo velo & accidentibus panis, existeret ipse Christus, qui illam miris illustrationibus instrucebat, & indes magis a-

nimabat: atque cum illa fide crescebat reverentia, ac amor, & fames ipsius sumendi, nec non præparatio ad hanc sumptionem; qua in re illa confirmabatur experientiâ quasi continuâ singularium gratiarum, quas consequabatur inter communicandum, cum ardentissimis affectibus amoris, cum solatijs & jubilis ineffabilibus, & intimâ unione spiritus, cum suo dilecto, quem complectebatur toto suo corde, qui per admirabiles apparitiones se ipsi in eo Sacramento ostendebat, sub varijs speciebus, & figuris, quæ illi rapiebant cor, eamque accendebant majori desiderio ejus honorandi, amandi, & sumendi intra sua viscera. Verumtamen ipsa multo magis innitebatur vivæ Fidei hujus Divini Sacramenti, quia sciebat illam plurimum aestimari à DEO, eique placere, quod ipsi significavit in hoc admirabili colloquio.

Cum considerarem, ait ipsa, immensitatem Divinæ Bonitatis, propter quam, unâque amorem, quo amavit & amat suas creaturas ab æterno, dignatus est pro earum salute, & majori bono animarum remanere in Divino Sacramento, ut ipsis cohabitaret, & conviveret, easque illuminaret ac doceret, cibaret ac nutriret, in hac peregrinatione, juxta illud, quod dixerat: *Si illos dimisero jejunos, deficient in via, quia aliqui venerunt de longè; cum, inquam, id cogitarem, admirans ipsius Divinam Sapientiam, Potentiam, ac Bonitatem, quæ sunt tres principales perfectiones, quibus innititur opus hujus Mysterij, dixit mihi Dominus: suppositis tribus meis, quæ admirata es, attributis, & simul fide meorum fidelium ac amicorum, quâ firmissimè, absque omni dubio, credunt hoc sanctissimum Mysterium, quemadmodum dixi Thomæ: Quia vidisti me, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt; usque adeo mihi placet, meque delectat fides istorum meorum fidelium, ut propter illam, simulque meam bonitatem & amorem, quo erga eos feror, sim prorsus contentus, & satisfiat mihi, juxta omnem meam voluntatem, pro ea misericordia, favore, & gratia, quam illis in hoc exhibeo. Et quamvis sit verum, multos inveniri Christianos, qui cum gravi detri-*

mento ac damnatione suarum animarum, me malè tractant, sumendo me in hoc Divino Sacramento in malo statu, & peccato mortali, nihilominus ità me delectat, ac ità mihi placet, id quod dixi, quòd ibi peculiari modo existam, ubi dico delicias meas esse cum filijs hominum; ut licèt essent quàm paucissimi hujusmodi mei fideles, & speciales amici, atque etiam unicus, facerem pro illis, vel pro isto, hac in re, quod facio pro quàm plurimis; non consideratis, ut inducar ad id omittendum, ingratitude, & peccatis malorum Christianorum, qui me sumunt in lethali peccato.

§ II.

Est autem admirabilis lucta, qua reperiebatur in corde hujus Servæ DEI, inter dictos affectus amoris Divini, & alios propria cognitionis, qui illam videbantur retrahere ab eo, quod amor tantopere desiderabat; quia considerando se ipsam, quando adibat sacram Communionem, dixit quâdam vice ad Dominum: Mi Domine, estne possibile, quòd ego tantùm audeam? Quomodo cogito, magne Domine ac potens, venire ad te, & collocare te in abominabile sterquilinum meæ animæ? videor mihi, mi Domine, esse instar bestię carentis ratione, quæ, dum videt, quod amat, quòdque illi placet, statim ad illud procurrit, absque alia consideratione, & respectu. Forsitan te cogito decipere, ac tibi illudere, sicut illudo creaturis hujus mundi, quæ habent oculos carnos, quibus parùm potest videri, id quod agitur in spiritu? non potero autem te decipere, quia tui oculi, & visus tuus est clarissimus ac purissimus, & penetrat animas, ac omnia quæ sunt in illis occultissima. Atque ego ipsa tibi volo aperire mea scelera, ut illa videas, cures, ac punias, juxta tuam sanctissimam voluntatem. Cum id considerarem, speciali illustrata lumine, quod mihi DEUS in hanc rem dabat, dixi illi: Domine, ista quæ hic adest, eo modo, quo vides, & quam optimè novisti, nihilominus propter magnum amorem, & desiderium tui, vult præsumere, ut accedat ad te suscipiendum; quia

non est illi possibile aliter facere, neque se potest continere: Nonne esset bonum, & conforme tuæ Justitiæ, atque etiam tuæ Misericordiæ, ut illam juberet, propter istam audaciam, & ipsius scelera, terribiliter castigari, quòd resipisceret, & aliquid lueret? cum ista dicerem ex intimo animo, ut viderer disfrumpenda, dixit mihi Divina Majestas peramanter: Hoc non esset bonum, quod tu vis, nec est, quare fieri deberet, neq; ego id volo facere. *Ità acquirat, & cognitio sui ipsius, qua præstiterat suum officium, dedit locum amoris, ut is cum tranquillitate exequeretur suum munus. Quia magis delectat DEUM, quemadmodum dixit Sanctus Bonaventuram, ut tales persona frequentent sacram Synaxim cum amore, quàm ab ea abstineant, propter timorem Divinæ Majestatis.*

Aliâ vice, reddens mihi rationem suæ conscientie, scripsit hæc verba: Summè me pudet, ac erubesco coram DEO, & coram omnibus creaturis cœli ac terræ; estque tantus meus pudor, ut si me in asino circumducerent per plateas Vallisfoletanas, non sentirem majorem confusionem: in templis me colloco ad angulos, & videor mihi ab omnibus aspici, ac putò à me omnibus præberi malum exemplum; eo ad Communionem cum magna fame, sed tamen confusissima, quia mihi videor esse similis cani famelico, qui furripit panem ex mensa Domini, & celeriter fugit, ne pro meritis tractetur: bene mihi est in isto fureto. Et si DEUS mihi vult offerre aliquid aliud, dico, me id nolle, quòd sic mihi sit bene. Cum hodie irem ad sumendum Christum Dominum, timui ibi manere, quia vidi cœlos apertos, & magnam multitudinem beatorum spirituum meo contemplantium, ac stupentium immensitatem Divinæ Bonitatis, quòd se ità communicaret suis miseris creaturis, & existimabam me videri, & cognosci ab illis meâ miseriam, tam profundè, quàm mihi dabat Dominus, ut me cognoscerem, atque in ista confusione fui ità afflicta, sicut dixi. Hos eosdem affectus & luctas experiebar post Communionem, quia summa erat verecundia & pudor, quem sentiebam, confi-

considerando vilitatem loci, in quo reposita fueram Majestatem tanti Domini.

Aliàs me solatus est Dominus, postquàm communicavisssem, vehementerque dolerem, quòd me non pręparavisssem debite pro tanto Hospite. Vidi Christum Dominum in throno regio, indutum veste, & redimitum coronã quasi Imperiali, qui arcano modo, & graviter scribebat sanguine, id quod ego fueram promerita per virtutem hujus sanguinis, illã Communionem, ad eum modum, quo Rex aliquis terrenus confirmaret privilegium, & gratiam pręstitam cuiusdam suorum subditorum, ex mera sua liberalitate: atque hoc factò mihi dixit Divina Majestas: Amica, quid tandem facis? quid cogitas? ideòne fortè, quòd aliquis filius, vel filia boni Patris dormiret absque ulla sollicitudine, Patre vigilante, ut ipsi pręster aliquid boni, omitteret Pater id facere? *Quasi diceret: Certè non; significando illi in eo admirabili ac Divino arcano, quòd licet ipsius preparatio non esset qualem sibi imaginabatur, esse debere; Bonitas tamen tanti Domini veniret ad illam remunerandam, ac si quàm optime se disposuisset.*

§. III.

Aliam graviorem habuit luctam cum demone, propter frequentiam suę Communionis, quę quantò magis placebat DEO, tantò amplius displicebat demoni, qui ipsam conabatur ab illa avertere mille vijs, modo apertè, modo fraudulentè. Aliquando manè, inquit, cum non posset tolerare rabiem, quę illum propterea discruciahat, voluisset eam exerere, si ipsum DEUS permisisset, postquam apprehendisset meum guttur, utpote optans me suffocare, si posset: verum quia hoc DEUS volebat, non habebat plus viriũ ad stringendum, quàm si esset parvulus puer, videbatur enim esse quasi ligatus, ne posset facere, quod desiderabat; sed tamen premebat non nihil, itã ut me affligeret. Ego attractavi guttur, ut viderem, quid ibi haberem, quod mihi adferret illam molestiam, sed nihil adverti, nec mihi incidebat, hoc provenire à demone, donec circumspiciens illum

vidissem prope lectum, qui statim paulatim accessit, apprehenditq; meum guttur adhuc bis, volens me suffocare. Tum ego nihil ipsum metuens, dixi illi: Quid te exagitat infelix? quid vis? apage hinc. Memor autem, quàm parum DEO servirem, & meorum peccatorum ac defectuum; dixi ei intrã me: Verè non posses multum de me conqueri, neque de bonis quę facio, si propterea solùm itã fureres. Dæmon autem respondit cum ingenti furia: Vellem te suffocare, si possem. Quare tandem? ajebam ego: Quare comunicas toties, reposuit ipse. Et incepit subito conscendere quàm quietissimè lectum, instar catti, sed contempsi ipsum magno animo, dixique illi, ut descenderet; quod fecit, & reliquit me. Quasi autem hoc non sufficeret, ingerebat mihi scrupulos & molestas imaginationes, ut me abduceret à frequenti Communionem, & redderet inquietam, atque valde indignabundè mihi dicebat: Polliceor tibi, quòd, si toties communicaveris, te sim tentaturus & afflictorus varijs imaginationibus: neque aliter fecit, quàm dixerit, permittente id DEO, aliquot diebus. Videns tamen, me ideò non intermittere Communionem, aggressus est me fraudibus, volens me decipere specie virtutis, injiciendo mihi istam cogitationem: Adverte, quòd, ex quo toties comunicas, patiaris tot ac tam graves tentationes diaboli, quas non patiebaris antea, idque fortè in pœnam temeritatis, & irreverentię, quam committis tam sæpe communicando, cum sis adeò indigna, ut id vel semel intrã septimanam facias. Itã mihi incutiebat summum timorem communicandi, quamvis propterea non desisterem à proposito, quia in me non inveniebam, per DEI misericordiam, quod me impediret, neque Confessarius, cui hæc omnia referebam, mihi id prohibebat. Nihilominus astutus deceptor, mihi volebat persuadere, eam cogitationem provenire à bono spiritu, siquidem me quodammodo illuminabat, sicut solet illuminare DEUS: quod tamen nesciebat imitari, neque omnino similiter pręstare, quia relinquebat sui quædam vestigia, ex quibus incepi nescio

nescio quid suspicari de malo genio; licet enim videretur esse verum, quod dicebat, veniebat tamen cum interno quodam tumultu, perturbando, inquietando, & contristando animam, contra quàm faciant, lumen & reprehensiones Divinæ, quæ adveniunt cum pace & quiete interiori. Verum tamen habere istam suspensionem, stringebant me rationes, quas mihi dæmon oggerat, petitas ex mea indignitate. DEUS autem videns periculum, in quo versabar, nè succumberem ei illusioni, dixit mihi quodam die celerrimè: Dic, agè, quid facis? quid facis? adverte, esse diabolum, qui te vult decipere & abducere à sacra Communione, relinque illum, nè ipsi credas, nè ipsi credas. Tum ego agnovi vocem, & inspirationem mei DEI, ac plena gaudio & amore ardentissimo, illum laudabam, & glorificabam, propter specialem curam, quam habebat de me præservanda à fraudibus diaboli, non quidem in rebus gravibus, sed in ijs, quæ retrahunt ab eo, quod est utilius, & cum magna fiducia illi dicebam: Domine mi, & Bonum tuum, si tam fidelis amicus es in protegendis ac defendendis nobis in eo, quod videtur exiguum, aut non tantum, quanta sunt alia graviora; quis dubitat, quin id sis facturus in re gravi, & nobis valde noxia? cum ergo ita sit, ut est, quis poterit tibi diffidere, qui es tam bonus Pater, Dominus, & fidelis amicus, ac securus protector te

quærentium? Postquam Dominus protulisset prædicta verba, aufugit diabolus, & nunquam amplius de hac re est loquutus.

Procedente tempore, quia hæc Serva DEI erat multis annis affixa lecto, ita ut non posset adire templum, sed neque semper haberet commoditatem communicandi in Oratorio, placuit Divina Majestati famem ipsius explere modis prodigiosis. Primo, deducendo illam manibus Angelorum, ut à nemine videretur, ad templum, eo tempore, quo Sacerdos alijs Eucharistiam dispensabat, ut illam ibi & ipsa suscipere. Secundo, dando illi spiritualiter quandam parvam hostiã ejus forme, cujus est, quam ordinariè sumunt seculares, quæ licet non esset verum Sacramentum, sed ipsius figura ac representatio, nihilominus postquam illa eam sumpisset, excitabat interne eosdem affectus, quos experiebatur, quando solebat communicare sacramentaliter, & interdum majores. Postremo quandoq; ipse Christus Dominus comparens supra patenam in specie parvuli pueri, ingrediebatur os illius, seque uniebat cum ejus anima, eadem operando, qua operabatur, quando ipsum sumebat in Venembili Sacramento. Hoc autem contingebat spiritualiter, & in imaginaria visione. Hujusmodi casus in hac Historia multos afferimus, atque admodum mirros, qui hoc loco stricte non erunt insinuandi, quia quorundam sæpe meminisse oportebit.

CAPVT XIV.

De confidentia, quâ à DEO petebat remedium omnium necessitatum, ac de eo, quod ipsi Divina Majestas concessit, & quomodo illam docuerit, quid ei esset petendum.



*S*iquidem ea Divini erga se amoris habebat pignora, quæ intelleximus, recurrebat confidenter Venembilis Marina ad DEUM, periculum remedium omnium necessitatum, tam propriarum, quam alienarum, cui rei magnam suæ orationis partem

impedebat. Et verò tantus erat affectus, quo ad istud faciendum ferebatur, ut dum propter suam magnam debilitatem non posset ex proposito agere cum DEO, maxime doleret, se ab illo non posse diu postulare remedium tantarum necessitatum, in quantis sciebat constitutum esse mundum, quia ipsa cum DEO familiaritas eam ad hoc impellebat, inge-

ingenerabātque illi magnam confidentiam, ut id postularet, innitendo infinita ipsius bonitati & misericordia, quam ob specialem illustrationem magis cognoscebat: atque etiā saepe fuerat expertus, illum propendere ad conferenda nobis, quā promptissimè, magnā bona, nosque liberandos à nostris malis: ac proinde DEUM rogabat, ut sibi daret vires, ad conferendum cum ipsius Majestate de istis necessitatibus, postulandūque earundem remedium, dicendo illi; ut alioquin faceret, quidquid sibi placeret: & quia petebat cum tanto fervore atque fiducia, bene expedirebat negotium. Cujus rei tot habebat experientias, ut saepe illi diceret Dominus: Quid à me petivisti, quod tibi non dederim? pete, quidquid volueris, quia ego tibi id dabo. Alias verò, dicit ipsa, sibi per aliquot dies omnia concessa à DEO fuisse, quae voluerat, ac ab illo petierat; seq. etiam ab eo tunc interrogatam, quidnam vellet scire. Sed cum esset adedò humilis, & verecunda, haberetque bene perspectum genium DEI, nihil ab illo unquam petebat, nisi quod ipsi placeret, & eā conditione, si illi placeret. Ut autem appareat, quousque progrediatur Bonitas Magni DEI nostri, & magnitudo favoris, quem exhibebat isti sua serva, afferam, quod illi aliquando contigit post expletos quadraginta tres aetatis annos; est enim aliquid rarum, plenum mysterijs, & admirabile, id quod ipsa ita de scripsit.

§. I.

ANno 1599. cum quodam tempore matutino essem collecta, more solito, vidi ante me confidentem Majestatem Christi Domini, quasi in quadam sella, cum illa sua sanctissima gravitate, tam magna & sublimi, ut non suppetant verba ad ipsam exprimendam aut extollendam, neque reperiatur intellectus, qui illum possit cōprehendere; quia Divina Majestas, dum animæ ex sua infinita bonitate comparet, in sua sacratissima Persona, exhibet illi quoddam lumen & radios suæ Divinitatis, suæque infinitæ essentiae, ac virtutis, & omnipotentiae, ita ut reperiatur extra se, & obstupesciat propter id, quod videt & cognoscit, de Majestate ac amplitudine illius

Domini, omnium rerum creatarum. Cum ita Divina Majestas consideret, sicut dico, & ego miserabilis illum aspicerem cum omni ea reverentia, quā poteram, atque etiam cum magno amore, quo mea anima illum prosequitur, vidi, quod eadem Majestas acceperit chartam & calamum, atque tenente quodam Angelo quā reverentissimè atramentarium, coeperit scribere, ita ut non viderem intingi ab eo Domino calamum in illo atramentario: sed majestas, magnificentia & gravitas, quā demittebat suos oculos ad scribendum, & movebat suum brachium, ac sacratissimam manum; est res tam sublimis, tamque excelsa, ac ita apta ad exhibendam animæ magnitudinem & potentiam, atque essentiam infinitā ipsius Domini, ut eo modo ipsum cognoscat, clarissimèque illi appareat hæc veritas, quam credimus & confitemur, quod Christus JESUS Dominus noster sit, non solum verus Homo, sed unā verus DEUS ac Dominus noster. Sumptā verò pennā ad manum, incepit Divina Majestas scribere, & scripsit valde parū, statimque mihi monstravit, quod scripserat, & fuit quædam subscriptio in folio vacuo, cujus hæc erant verba: JESUS CHRISTUS DEUS & HOMO VERUS, scripta Divino caractere, utpote sacratissimo ipsius chirographo, quia nihil amplius, quā hoc dici potest, ut intelligatur, qualis esse potuerit; ac tum mihi dixit Divina Majestas: Accipe modò istam subscriptionem, ac scribe hîc, & pete, quod volueris, tibi que placuerit, dabo enim tibi id quā libentissimè. Ego autem miserabilis, tunc expendens, quod Divina Majestas dicebat, fui consternata, & mirata sum tantam bonitatem, tamque eximiam misericordiam, quam mihi Divina Majestas volebat exhibere, ac statim respondi: Ut ego hîc scribam, dicit Tua Majestas, meus Dominus? Non est, cur id faciam: sufficit mihi tuum verbum, ac tua bonitas, propter quam solam mihi dignaris hanc præstare gratiam tam magnam, & misericordiam, ut des mihi tuam sacratissimam gratiam ad servendum tibi semper, placendūque toto meo corde, & meā animā, ac viribus meis,

K

ne

nè unquam te offendam, neque aliquid faciam, quod tibi minus placeat, & non sit conforme tuæ sanctissimæ voluntati. Hoc est, quod à te peto, pro me & pro omnibus, quos præ cæteris amo, & quibus specialiter sum obstricta. Etiam te rogo, si id ad majorem tuam cedit gloriam, & obsequium, ut innotescat Sanctus Pater Ignatius. Postquam autem ista, atque alia in hunc modum petivissem (quæ audiebat peramanter ac libenter) recepit illam chartam, quâ subscripserat, scripsitque in ea diutius, & plures lineas; quia visæ sunt mihi fuisse quasi duæ duodenæ, aut aliquantò plures, in quibus Divina Majestas asseribat, se mihi velle præstare gratiam, concedendo quàm libentissime, quidquid petiveram: & absolutâ scripture, efformavit juxta priorem subscriptionem, quoddam signû seu notam sibi peculiarem, arcana calami ductu designatam, monstravitque mihi rursus illud scriptum, ut viderem, quàm esset gratia omnibus absoluta numeris, quæ mihi conferebatur. Aspexi appositum signum, & cum in eo defigerem oculos, intellexi, quid contineret, videlicet antè dicta. Aspexi deinde additum signum, seu specialem notam, & obstupui, nec potui ab illa divelli, quia in ea vidi, quanta sit Majestas illius Domini, qui ipsam ita efformaverat, ut in illa esset designata, & quasi delineata, atque expressa Sanctissima Trinitas. Et verò videbatur atque cognoscebatur in ipsa altissimum illud, & supereminens mysterium trium illarum distinctarum Personarum, & unius solius DEI ac Domini nostri, allucente mihi clarissimo lumine, quod Divina Majestas inapertiebatur meæ animæ, ad cognoscendum idè sublimissimum mysteriû, de quo ibi ipsum edocebat, quòdque illi manifestabat in ea figura & nota, quam exaravit Christus Dominus suâ manu, ac suo charactere: cum enim illam efformaret, videbatur unâ hoc faciendo, ipsam Sua Majestas quasi depingere, & manifestare suam magnitudinem, ac sublimissima mysteria. Hunc in modum, & in isto mentis excessu, contemplata sum parùm istud altissimum mysteriû, cum specialissimo solatio meæ animæ. Et

elapso eo brevi tempore, vidi à Christo Domino complicari illud scriptum, quod nec mihi dedit, neque abstulit, sed dedit ac posuit ad manus unius, ex illis Beatis spiritibus, qui ibi adstant, atque ego, quantum assequor, existimo fuisse procul dubio Angelum mecum Custodem: Sanctus autem Angelus id suscepit, ex manu Divinæ Majestatis, cum maxima reverentia, præferens magnam lætitiâ, propter scriptum, sibi traditum. Omnibus deinde his peractis, me inveni abstractam à sensibus, quasi sopitam, & quando ad me redij, non vidi Christum Dominum, qui jam abiverat, neq; conspexi ullum eorum Sanctorum Angelorum, qui illic adfuerant, nec quidquam aliud, quod ibidem videram. Fui verò propter istam misericordiam, mihi à Domino præstitam, repleta solatio, atque ab eo tempore incepit mea anima frui pace, & quiete ac libertate, ut posset agere cum Domino. Benedicta sit Divina Majestas ubivis. Amen.

§ II.

Ista visio fuit tam sublimis, ac tam bene disposita, & plena mysterijs, adeò miris, ut ipsi Angeli illam mirarentur, unde: Cum aliquando manè, inquit, agerem cum Deo, amaremque ipsum, ac desiderarem omnibus meis viribus, & expenderem meas miserias, ac peterem ab eo illarum veniam ac remedium, unâque alienarum pro proximis, audiebat me Divina Majestas quàm amantissimè, & respondebat mihi ad ea, quæ dicebam, consolabaturque me animam specialibus suis favoribus, & manifestabat mihi aliquid de suis Divinis ac supereminentibus arcanis. Interea verò conspexi adstantes quosdam sanctos Angelos, pulcherrimos, vehementer stupètes & admirabundos, quod demonstrabant & manifestabant in situ corporû, in quibus comparebant meæ animæ, nec non in divinis suis ac speciosis vultibus. Causam autem hujus admirationis intellexi esse, quòd viderent Majestatem illius magni DEI ac Domini sui, in cujus Divino conspectu profertur omnis creata natura, & eminentil-

mentissimi Seraphini se reputant quasi vermiculos, tanto amore prosequi suas creaturas, tantæque esse erga eas bonitatis, ut propter illam dignetur agere cum iisdem suis miserabilibus creaturis, ac terrenis, plenisque corruptione naturæ humanæ, & se eo modo ipsis eomunicare. Ità attoniti illi Angeli se invicem intuebantur, semel ac iterum attollendo suos oculos ad Cælum, & videbantur mihi non solum mirari eam, quam tum contemplantur, bonitatem DEI, sed etiam præteritam misericordiam, quando mihi dedit subscriptionem in charta vacua; ego verò miserabilis videns illos ità stupentes, & quidem rationabilissimè, mirata sum similiter, meque ipsis associavi in eo, quod faciebant, mihi ipsi erepta, propter idem, quod illi attoniti admirabantur.

Veritas huius revelationis satis patet; quia non fuisset possibile, ut hæc DEI famula illam fingeret; neque alius quàm ipse DEUS eam potens imprimere animæ, ut illi tam miraculoso modo manifestaret veritatè promissionis, ijs expressè verbis: Quod petiveritis Patrem in nomine meo; dabitur vobis. que non est aliud, quàm solum vacuum subscriptum nomine & meritis Christi Domini, DEI & Homini veri, ac Mediatoris nostri, per quem æternus Pater concedit, quidquid ab illo petitur in tali nomine, confirmante id Sanctissimâ Trinitate, cujus opera erga homines sunt indivisa, & quod facit una, faciunt omnes tres Personæ, idque obsequant sigillo sue Divinitatis, & Omnipotentie ac Sapientie infinite. Etiam animadvertendum est, ipsam, cum tantopere amaret Societatem, & Sanctum Patrem Nostrum Ignatium, de cuius canonizatione tunc erat sermo, quod fuerit anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo septimo, quando id contigit, statim animadverti, tam bonâ occasione, petivisse à DEO, quod usque adeò optabat, quòdque illi fuit concessum, & jam videtur impletum.

§. III.

Sed ut agnoscatur libenteritas nostri magistri DEI erga istam suam famulam, utriusque modus, quo intelligenda sunt ejusmo-

di promissiones de concedendo omni eo, quod ab ipso fuerit petatum, addemus aliquas revelationes gratiosissimas, quas hac de re habuit diversis temporibus, presupposito eo, quòd de se testatur quodam tempore, quo erat aliquantum afflicta.

Præstabat mihi, ait, Dominus illis diebus gratiam, ut mihi concederet, quidquid petebam; illuminabat meam animam, ut cognoscerem id, quod ipse volebat à se peti, ideòque ab illo postulabam ea, quæ mihi hoc lumen suggererat; aliàs autem intelligens Divina Majestas meam voluntatem, volebat, mihi que indulgebat, ut peterem, quidquid ipsa vellem, atque sic se accommodabat mea anima suo Domino, ipse verò se accommodabat illi. Quadam vice ab eo petivi quidpiam, quod desiderabam: & ipse mihi respondit: Fiet, expecta, quia id tibi dabo suo tempore: aliàs quando ità expediebat, concedebat mihi Divina Majestas subito, quod ab illa postulabam. Ità, cum essem vehementer debilis, & haberem caput adeò malè affectum, ut me non possem impendere orationi, rogavi ipsum, ut me liberaret à dolore capitis, à quo impediabar in oratione, utque illum transferret ad aliam corporis partem, nolebam enim carere illâ cruce; quod Divina Majestas fecit, dando mihi gravem dolorem corporis, quo fui afflicta biduo, vel triduo. Sed etiam si alijs vicibus non experirer præsentem hunc Domini favorem, ego tamen ex mea parte non cessabam illi esse opportuna, & illum instanter urgere. Anno 1622. ipsi aliquando dixi cum vehementibus affectibus: DELIS mihi, desidero in omnibus facere, quod tibi placeat, ac tu vis, & nè vel minimum defectum in hoc admittam, promitto tibi, mi Domine, quòd te sim tam fortiter constrictura meis brachijs, ut te non dimittam, donec mihi concedas gratiam, quam à te peto. Responditque Dominus: Veni huc, Anima, nunquid ego sum adeò difficilis in concedendo tibi, quod à me petis, ut opus sit mihi tantam vim inferre? Ego verò respondi: Non, mi Domine; ex mea tamen parte, tam exigua adest dispositio, ut putem hæc viâ mihi obtinendum esse, quod

K 2

peto!

peto. Concessitque mihi Dominus, quod tunc ab ipso petebam. *Hoc magis declamatur in sequentibus revelationibus, quæ ita se habent.*

Anno 1615. cum expenderem, & in memoriam mihi revocarem quandam gratiã, quam mihi Divina Majestas biduo vel triduo antè præstiterat, vocando me extra cubiculum de nomine, ac ter, tono gravi, dicendo: Marina, Marina, Marina; vidi Dominum, qui mihi dixit: Itã est, vocavi te de nomine, Marina, considera, quid velis? quo indigeas? quidquid petiveris, modo sit è mea gloria & honore, ac bono animarum, dabo tibi, & concedam quàm libentissimè, ac promitto tibi, me id facturum. Respondi ipsi: Summas tibi ago gratias, teque benedico propter gratiam, quam nobis omnibus præstas, dando nobis quidquid à te petimus, modo sit è gloria & honore tuo, ac bono proximorũ, quod est ingens nostrum solatium, ac levamen. Ille subjunxit: Non est itã, sicut dicis: ego enim non de omnibus, quod à me petunt, quantumvis id, quod petunt, conducat ad meam gloriam, & bonum proximorum: quia multi hoc à me non petunt, sicut debent, neque promeruerunt, ut illis præstem illam gratiam. Quod ego tibi modo offero, & cujus rei tibi facio gratiã, est, quod non solum tibi sim daturus, quidquid à me petieris eo modo, quo dictum est, si à me petas, quod cedat ad meam gloriam, & honorem, ac bonum animarum, sed præterea, ut à me id petas, quemadmodum te petere oportet: dabo quoque tibi gratiam meam, & quidquid est necessarium, ut hoc ipsum à me obtinere merearis, atque istud est, quod tibi modo offero, quodque tibi gratiosè concedo. His auditis à Domino, egi ipsi, quas quàm minimè malè potui, gratias, pro favore mihi præstato, & dixi Divinæ Majestati, me nihil velle aliud, quàm meum Dominum ac DEUM, & implere in omnibus sanctam ejus voluntatem, atque satagere, ut illi placeam, & me id ipsum ab illo petere, ac postulare pro omnibus meis amicis in Domino, proque omnibus ijs, qui se commendant meis precibus: rogavi etiam illum,

ut redderet sanitatem cuidam infirmo, & dixi ei: Mi Domine, reddesne illam ipsi? Summè optando, ut ea illi à Domino redderetur. qui mihi respondit: restitutum à se in sanitati, si profuerit ipsius animæ. Non negavit mihi Dominus, redditurum se illi sanitatem, imò magnum habebam solatium, & confidebam, quod eam ipsi esset concessurus, sed videor mihi habuisse certum desiderium id sciendi, & propterea mihi Dominus itã respondit.

Anno 1615. aliã vice, dum peterem à Domino, ut mihi dignaretur aliquid concedere, eò quod mihi videretur facere ad ipsius gloriam & honorem, ac bonum proximorum, respondit mihi, sicut alias solet: Quid habes? quid tibi deest? desuine ego tibi in ulla occasione, quando mea gratiã indiguisti? numquid cognoscis & intelligis mea, quoad id incomprehensibilia iudicia, meamque Divinam dispositionem? Tu petis, quod tibi videtur conveniens juxta tuam bonam opinionè, & bene facis: putasne tamen me non posse alio modo omnia itã disponere, ut inde mea gloria sumat incrementum? His à Domino intellectis, dixi illi ex intimo meo corde: Domine, nihil cupio, neque aliud à te volo petere, quàm ut per omnia in me fiat tua sanctissima voluntas, & in omnibus tuis creaturis, quod solum à te humiliter postulo. Dominus autem pro sua solita bonitate, mihi respondit: Non sic oportet fieri, imò delectat me, dum mei servi à me petunt omne id, quod cederet, quodque illi videretur cessurum ad gloriam & honorem meum, ac bonum proximorum; quando enim hoc à me petunt sicut debent, & cum debitis conditionibus, bene faciunt petendo, & nonnunquam, dum mei servi à me petunt ea, quæ non usque adeò conducunt ad meam gloriam, neque sunt undequaque perfecta, sed nec multum profunt proximis; tamen ut illis satisfaciam, ac dem solatium, exaudio ipsos, disponendo pro mea Divina Sapientia, & Omnipotentia, ut hæc eadem illis tantum utilitatis, & mihi tantundem, aut plus gloriæ adferant, quantum alia, quæ ego ipsis diversã viã concessissem, ad majorem meam gloriam,

riam, & eorum bonum. Quia hæc omnia conveniunt meæ Omnipotentiae, & suavi ac Divinae dispositioni, nec non meo desiderio, quod habeo, ut illorum preces audiam.

✠✠✠

CAPUT XV.

De rabie, quâ ipsam dæmon incepit persequi transfigurando se propterea diversimodè, ac de gratijs quas ipsi DEUS & Angeli ejus præstabant, ut illam tuerentur.

Quando diabolus vidit magnas gratias, & solatia, quibus DEUS hanc suam famulam cumulabat, præsertim dando ipsi illam subscriptionem in vacua charta, ut est invidus, & malitiosus, concepit adversus ipsam ingentem rabiem, optando illam persequi, tentare, & excruciare omnibus modis, quibus, DEO permittente, posset. In initijs illi Divina Majestas quam minimum permittebat, paulatim tamen indulgebat amplius, ac tandem tam amplam ipsi dedit facultatem, ut eam redigeret in terribiles angustias, quæ duraverunt multis annis. Specialius verò illam angebat, post susceptam quampiam extraordinariam gratiam à DEO, aut prestitum aliquid ab ipsa, in bonum proximorum, vel in solennioribus Festis, tamen si illa initio plerumq. aggredere- tur tempore orationis, & collectionis, ut ipsa turbaret, aut deciperet, vel efficeret ne conversaretur, ageretque cum DEO familiariter, id quod illa maximè optabat, & cujus communicationis impedimentum præcipue sentiebat: sed, per Divinam misericordiam, vincebat omnes tentationes, quia statim recurrebat ad DEUM, postulando ab illo lumen; unde postquam multa cum Divina Majestate contulisset de quodam negotio, quod ipsi committebat, vidit dæmonem intrãdentes loquentem, ita tamen, ut illum non intelligeret, sed Angelus ejus Custos illi aperuit, quòd diceret: Ista maledicta, quam in hoc toto negotio nunquam potui decipere, quia statim recurrit ad suum DEUM, seque illi affigit. Horum omnium referentur suis locis diversa exempla, nunc tantum comme-

morabimus varias technas, quas moliebat ut ad illam excruciamdam.

§. I.

Primâ vice, inquit, mihi apparuit in specie Æthiopsis, qui pedes habebat ferinos, & brachia subtilia instar asini, ac multa parva cornua in capite, & longam caudam, pertingentem usque ad terram: erat autem tanta ipsius feritas, ut convertendo me ad Dominum, cum magno illi timore dixerim; Fac mecum, per tuam bonitatem, quidquid volueris, tibi que visum fuerit, modò me non videam, vel uno momento coram hoc hoste; & miserebat me illorum infeliciam, qui propter aliquâ miserabilem delectationem fiunt mancipia & focij dæmonum, in tormentis totâ æternitate duraturis.

Aliàs illum vidi gesticulantem, atque contorquentem corpus & caput cornutum, quod trans mittebat per pectus, & exercebat in dorso, ac deinde suo loco reponere, rursùmque per dorsum unâ cum medio corpore protrudebat, & exponebat iteratò per pectus, restituebatque omnia priori loco. Tum illud inflectebat ad unum latus, & exerebat in altero, unde etiam ad suum locum revertebatur. Hac ratione mille alios edebat fædos gestus, seque variè transformabat, & cum ego vehementer obstupescerem, videns hæc ab illo fieri, dixit mihi: Sicut vides à me intorqueri istud corpus & caput, & transponi atque exeri in tot partibus, ut vix possis intelligere, aut scire, quid agant. Alio die mihi similiter comparuit, sed totus defædatus nigris ac albis maculis, ex ore verò

K 3

ipsum

ipſius prodibat quaſi quædam nebula, quæ ſe interponebat inter me ac ſanctum, cum quo tunc agebam, ita ut mihi impediret illius conſpectum: conabatur enim efficere, ut non intelligerem, quod mihi dicebat, & per intervalla effutiebatur, quasdam horrendas blaſphemias, quibus me vehementer affligebat, propter quam afflictionem dixi ad Dominum: Mi Domine, vide iſtum infelicem, quem ſemper mihi præto adefſe. Sed Divina Majeſtas oſtendens ſe habere mei curam, mihi dixit: Non adefſe certe, quia quam longiſſimè à te abeſt, nè te affligas; ſignificando mihi, quòd licet ſit vicinus ad me affligendam, longè tamen abſit ab inferendo damno meæ animæ.

Alià vice vidi dæmonem valde ſuperbientem, continuè le moventem, totumque inquietum, abſq; ulla intermiſſione, quaſi eſſet plurimum occupatus, & dixi illi: Quam inquietus es, miſer, ut videaris aliquid facere, cum tamen nihil agas. Ipſe autem tunc reſpondit: Tibi videor nihil facere, ſcias autem, me multa peragere negotia in iſto mundo, ſi hîc nihil faciò; quod audiens obſtupui, & indolui. advertebam enim ipſum dicere verum, eò quòd ſeducat multos ſuâ induſtriâ. Aliàs tamen, vice verſâ, illum vidi vehementer furentem & indignantem, ac ſimulantem otium, ut videretur nihil agere, atque tabeſcere dolore, & confici. Et in hac ſimulatione, quam fingebat, ſe gerebat inſtar alicujus petulantis pueri, qui dum non permittitur agere malè, & pro ſuo libitu diſſimulante exerit manum, & petit alium ex improviſo lapillis, ita ut non poſſit advertere à quo projiciantur, ac licet quamprimum vertat caput, ut videat, quis ſe moleſter, videt illum petulantem, tam ſimulatè modeſtum, ut vix poſſit credere, ipſum eſſe, à quo imperatur. Ità mecum agebat dæmon, in tentationibus & moleſtijs, quibus me vexabat. Hinc deprehendebam duos modos, quos obſervat in tentandis Juſtis. Tentat inprimis manifeſtè, quando incitat ad ea, quæ aperte mala ſunt, impellendo ingenti furia & impetu ad illa fe-

ctanda: deinde tentat occultè, quando incitat ad quædam quæ videntur bona, vel ſub ſpecie boni, deſiderando, ut attribuantur bono ſpiritu, cum tamen proveniant ab eo, qui eſt tam malus.

§. II.

Gravior ac diuturnior fuit aſſultus, quo illam infeſtaſt per aliquot dies hunc in modum: Poſtquam, inquit, mihi DEUS inſignes gratias contuliſſet in Feſtis Pentecoſtalibus, quodam die eorundem Feſtorum, cum eſſem in templo, me abripuit in ſpiritu diabolus, cum magna rabie & furia, malèque tractavit, raptando me, & exagitando, ita ut ipſum quoque corpus quaſi defatigaretur, & cruciaretur ultra viginti quatuor horas. Obſtupui id, quod nunquam fueram experta, non fui tamen propterea afflicta: quia pati ſolas moleſtias, abſque timore peccatorum, non eſt difficile, ſed valde ſuave animæ, quæ ſuum DEUM amat; ac proinde licet ſentirem crucem, affluebam magno ſolatio. Cum hoc videret diabolus, conatus eſt ſuperaddere cruci, quæ mihi videbatur tam facilis toleratu, aliud quoddam tormentum, quod mihi omnem prope aufereret quietem, inſuſurrando ſcilicet quam ſepiſſime, & quaſi continuè, in aures animæ, quædam abominabilia, atque ita animam affligebat duriffimâ & graviffimâ cruce, neque mihi concedebat ſpatium quieſcendi, vel agendi cum DEO, qui nihilominus non omittebat propterea me viſitare & ſolari: maximum autem ſolatum erat, quòd me conſcientia non redargueret ullius peccati, & ipſe Dominus mihi imploranti ſuum auxilium dixerit: Nè te affligas, aut angas, quia ego te præſervo & cuſtodio ab ordinaria moleſtia, quam plerumque adferunt tentationes, quantumvis ſuperentur, utpote à parvis quibusdam nævis, qui ſolent adhæreſcere animæ. Et, per DEI miſericordiam, non erat difficile meo ſpiritu, neque meæ carni, cavere, & abominari illas nequitias diaboli, ſimulque illi repugnare. Aliàs, cum in eodem templo audirem

direm concionem, accessit ad me diabolus, & intorsit mihi, atq; reflexit medium corpus retrorsum, ut illud videretur confregisse. Senti inde ingentes dolores, ita ut dum me moverem, mihi viderentur resonare ossa, quamvis id magis contigerit in spiritu, quam in corpore. Post hoc, dum me aggrediretur secundo, ut me vexaret, prodijt in mei defensionem sanctus meus Angelus Custos, & scepro, quod manu gerebat, bis terve percussit illius caput, corruitque ad ipsius pedes in specie crudelissimi ac alati serpentis, & videns, quod ab eo non permitteretur ad me accedere, egressit ex ore quiddam instar densi fumi, quo afflavit unum latus mei corporis, ut inde pars illa inficeretur veneno, mihi que doiret. Dicente autem mihi Domino quadam die: Visne te vindicare de isto diabolo, qui te ita exagitat? dixi: non Domine, nihil ego id curo. Nihilominus post hoc diuturnum certamen, intellexi ex Domini illuminatione, quod comprehendisset atque catenam contrinxisset istum diabolum in abyflo infernali. Durantibus verò his afflictionibus, propter nequitias, quas diabolus effutiebat, mihi que oggerabat, dixit mihi Dominus: Bono esto animo, & gaude: significo enim tibi, quod, quando cunque resitis alicui ex his abominabilibus dictis, quæ diabolus insinuat in aures tuæ animæ, prodeat ex te elegans flos, unde tibi textitur illa corona & sertum, quod ibi vides. Tum sustuli oculos animæ, & vidi præsentem duos Angelos, qui conficiebant ac texebant quandam pretiosam coronam, ex elegantissimis & gratiosissimis floribus, quam unus illorum tenebat, alter autem texebat, habebantque jam unam illius partem completam. Videns ego hanc benignitate Domini, fui repleta magno ipsius amore, dixique illi: Fitne pro me ista corona, Bonum meum, & Domine mi? hoc ego non curo. Mea corona, & meum solatium, ac mea gloria est, si id obtineam, ut te amem, tibi que placeam, & exequar tuam sanctam voluntatem; hæc est mea corona, & istam à te peto ac desidero omnibus viribus meis. Atque si multa pro te fecissem, & passa fuisset multas molestias,

(id quod non feci) præmium, quod vellè, & quo mihi satisfieret, esset, obrigisse mihi eam fortunam, tamque bonam sortem, assecutam me fuisse, ut tibi placerem, faceremque aliquando tantillum pro te. Postea cum me diabolus adeò contudisset, ut passa fuerim fluxum sanguinis, vidi meos sanctos Angelos tenentes coronam, & meum Custodem apponentem illi alium florem elegantissimum, quo superior ipsius pars complebatur, quamvis ex partibus corona necdum esset omnino perfecta. Et Sanctus Angelus mihi dixit: Huc usque non profuderis sanguinem pro tuo DEO, quod est instar martyrij: in præmium ergo tuæ patientiæ, apponitur iste flos coronæ. Alia vice mihi mihi terribiliter minabatur & intubat. Quâdam nocte venerunt multi diaboli, in horribilibus formis, qui me acoriebantur, volentes mihi multum nocere, & sic me redegerunt in magnas angustias. Sed gloriosus sanctus Bonaventura, qui me illis diebus visitabat, me defendit & liberavit ex illo periculo. Fui tamen usque adeò perterrita, ut sequenti nocte tremere timendo, nè redirent ad idem certamen; quo timore correpta, composui me ad orationem, & Dominus mihi dixit: Quid habes? nè timeas, nonne ego sum tecum, quid times? Quod me affecit solatio, abegitque à me illum timorem, quem habebam.

Aliàs, dum essem acclinata ad quandam fenestram, dixit mihi diabolus, cum magna rabie ac fremitu: Cave, quia te rapiam & auferam, ac relinquam in campis, ubi nec te possis juvare, neque scias, quid tibi sit agendum: ego tibi perturbabo phantasiam, & cogitationes, ita ut tibi omnia susque deque invertantur; quod mihi dixit cum tanta furia, ut mihi incusserit timorem, meque repulerit à fenestra. Postquam autem recurrissem ad DEUM, dixit mihi peramanter: Tace, tace, nè timeas, quia sum hic apud te, neque te tanget, aut abducat alius, quam ego, nè te affligas. His verbis, omnis mihi abstersus fuit timor; quia non est angustia, nec afflictio, neque cruciatus, qui non evanescat, perdaturque suas vires, præsentem & loquentem
hoc

hoc Domino, qui absolutâ est præditus potentia, ad faciendû ac destruendum quidvis, & abigendas omnes angustias, atq; affictiones ex anima.

Aliâ vice venit ad me dæmon, ferens veru, quod ita vibravit, ut illo mihi visus fuerit totum corpus transfixisse, prominente super verticem illius cuspidè, ultra altitudinem unius palmi, & quamvis sentirem quendam quasi dolorem corporis, tamen illi dixi: Discede hinc infelix cum istis tuis artibus, quibus ego nullam fidem adhibeo. Alio die manè, in mea collectione, vidi, quòd in quodam loco mei cubiculi, ut me molestarèt, mihi que illuderet, haberet in veru figuram corpoream formatam ex aëre, quæ nonnihil referebat, quantum mihi illam potuit reddere similem: gyrabat autem vehementer illud veru, quasi aliquid assaret, & quia brachia illius figuræ erant soluta, efformabant ingentem rotam in aëre, atq; infelix ille rotabat veru quàm celerrimè, ut fieret illa rota, effusè ridendo, ac si inde potuisset capere aliquam modicam delectationem. Videns hanc figuram, quæ mihi taliter apparebat, naturaliter illâ affligebat, dicebamque ipsi: Apage hinc maledictè simulator. Ipse tacebat, & non desisteat à gyrando veru. Convertens me ad Dominum, querebar de eo, quòd dæmon faciebat, & stupebam, quòd licèt cognoscerem, esse puram illusionem, meum tamen corpus externè affligeretur. Dominus autem mihi ad omnia respondit, & solatus est me. *Summa eorum quæ dixit, erit: ea, figuram esse fictam, nihilque aliud, quàm fictionem, ideòque dolorem illi exteriorè non procedere inde, quòd ipsam contingeret veru, sed quia dæmon, eo permitte, commovebat humores corporis, ita ut hinc oriretur ille dolor sensibilis.*

§. III.

TRanseamus ad alia, quæ idem hostis moliebasur, non jam ut ipsi intentaret minas, & incuteret terrorem, sed ut illam crudeliter cruciaret, quia hoc illi DEUS permittebat. quòd quidem faciebat adèd fucitè, ut, quemadmodum dicitur fieri in rapti-

bus, quòd interdum nesciatur, contingant ne in corpore, an tantum in spiritu, ita difficulter possèt percipi, an ijs cruciatibus impeteret corpus, an verò tantum vexaret veru illorum representatione, excitatâ in imaginatione, perturbarètque humores, ita ut inde orirentur veri dolores, & convulsiones membrorum. Quâdam vice, inquit, venit ad me iste inimicus, cum multis alijs, intentans mihi furiosè minas, atque cum ego illum non curarem, accessit ad me, & verberavit meum caput acriter, quasi de me vindictam fumeret: quòd ego tunc non tantum sensi, quantum postea; dolebat enim mihi caput & oculi vehementissimè, ut non possem dormire, comedere, aut quiescere, neque (quòd ipse maxime intendit) loqui cum ijs, quos ad me mittebat Confessarius, & propterea illos dimitterem absque alloquio. Redijt post triduum, dicens mihi: Ego tibi auferam cranium, ut nihil loquaris. Et quamvis ego hoc non crediderim, interrogavi meos sanctos Angelos, an id DEUS vellet. Responderunt mihi: DEUS id permittit pro tuo bono, ac fructu illorum, qui te audiunt, & non proficiunt. Diabolus igitur, & ipse focij, derepente sciderunt circumquaque totum meum cranium, & ego revera vidi cerebrum. Postquam dæmones cranium undique recidissent, avulserunt illud ex una parte, ac deinde ex altera, cum ingenti meo dolore: sic autem penitus avullum, cum quibusdam membranis, & cerebro, rapuerunt ex ipsorum manibus mei sancti Angeli, quorum unus afflavit, eodèque flatu redintegavit caput & cerebrum, meque magno replevit solatio & gloriâ, qualis potest hic haberi, cum enim fuisset afflata, repositum mihi ab ipsis est suo loco cranium, atque sanatum, & ego summo perfusa sum gaudio, propterea quòd DEUS ita mecum dignaretur agere, quamvis, quia tantus fuerat cruciatus, etiamnum sentiam illius effectus, ut mihi videar interire.

Post hoc, quâdam nocte, mihi sunt comminati dæmones, more solito, & mei sancti Angeli mihi dixerunt, nè timerem, sed essem bono animo: unde intellexi, quòd

me dæmones vellent affligere, quemadmodum fecerunt. Venerunt enim illorum quatuor in humana specie, induti albis subobscuris & sordidis vestibus, meque abreptam tulerunt ad pontem superstructum majori fluvio hujus urbis, & ex altissimo illius loco, cum magna furia præcipitaverunt ad maximam fluvij profunditatem, ubi, dum me adverterem ruere, cogitavi, quòd grave essem passura damnum, demersa infra aquam; sic fui raptata procul ultra pontem, & quando emersi ex aqua, reperi me in meorum Sanctorum Angelorum manibus, ex quibus ijdem quatuor diaboli me rursus abripuerunt, feceruntque idem, quod prius, secundo ac tertio; semper autem quando prodivi ex aqua, me inveniebam in manibus Angelorum, qui ultimò me tulerunt ad meum lectum. Et quamvis id contigerit in visione imaginaria; fui tamen, acsi corpus sustinuisset incommodum ternæ illius projectionis intra aquam, mirum in modum alterata, horrendis vomitibus, & confusione pessimi humoris, immixti sanguini, non absque molesta feбри, & convulsione totius corporis: intra duos tamen, tresve dies, quibus duraverunt dolores, sum ab ipsis liberata, & cum recorderer loci, in quo fueram præcipitata, atque proponerem ire ad illum videndum, si convalescerem, dixit mihi dæmon: nè eas, quia te iterum præcipitabo ad flumen, cum corpore & anima. Hoc autem accidisse certior sum, quàm de eo, quod video oculis, ac tango manibus, quia sensus corporis possunt falli, minimè verò spiritus, quod longâ experientiâ didici.

Alijs vicibus mihi comparebat in specie tauri, qui corpus, caput, & cornua habebat plena albis ac nigris maculis, & simulabat mei invasionem, terrefaciendo me; atque interdum me cornibus ejecit valde procul ex lecto, quâ jactatione non aliter me concussit, quàm si ipsum corpus apprehendisset, & ejecisset.

Alium modum excogitavit ad me vexandam, implendo meum ventrem vivis vermibus, qui intra illum reptabant; & videbam illos tam clarè oculis animæ, quàm si ipsos conspicerem oculis corporeis, atque

cum dubitarem, an ità seres haberet? dixerunt mihi Angeli; id fieri à dæmone, indicantes mihi, non esse ibi re verâ tales vermes, quamvis cruciarer, acsi omnino forent.

Quâdam nocte, cum non possem dormire, vidi dæmones circumfusos lecto, qui me omni adhibito studio inquietabât, ut evigilarem. Tunc mihi dixit Dominus: Permite, quia illis illudes, ipsi enim putant te dormire, ideòque aguntur in rabiem. Et vidi subito, quòd Divina Majestas ipsos jussit elevare lectum, eundemque suaviter agitare, sicut agitari solent cunnæ, ut in ijs obdormiat infans: quod inviti fecerunt, & ego ridebam, videns, quomodo illum agitent, unaque murmurent acti in magnam rabiem: pro majore verò meo solatio, revocavit mihi in memoriam Dominus aliam ludificationem, quâ dæmonem vexavit S. Bernardus, cui ille curru Romam proficiscenti confregit axem, ut ipsi illuderet: Sanctus autem illi nomine DEI præcepit, ut suppleret vicem axis in curru, quod fecit, donec ingrederetur Romam.

Aliàs me duo diaboli constituerunt in medio, multisque trusionibus exagitata, jactabar ab altero ad alterum, cum mea magna molestia, & afflictione, donec illis minati fuissent Angeli, ipsosque abegissent. Quâdam seriâ quartâ Cinerum audivi ingentem tumultum, quasi eminus, & vidi Christum Dominum, qui aderat, dato signo monentem, quatuor Angelos mihi assistentes, qui in momento circumdederunt meum lectum. Deinde conspexi venientem turmam quandam dæmonum cum tympanis, quasi festum agerent, ac tripudiarent, dicentium se venire lætissimos propter peccata Christianorum, quæ eo die committunt, violando jejunium Ecclesiasticum, quod totum confingebant, ac dicebant, ad me molestandam. Tum unus ex quatuor Angelis ivit ad illos, & comminatus est ipsis; quod suffecit ad eos fugandos, & sic me reliquerunt. Unde apparet, quantopere affligeretur peccatis proximorum; cum illa diaboli, ut ipsam cruciarent, ei in memoriam revocârunt. Mo-

L

lieban-

liebantur & alia magis terribilia, præsertim ex odio, quo exardefcebat, dum benefacere proximis, cuius rei deinceps fiet mentio.

Postremo erat gravissima molestia, quæ ipsam demon vexabat inter dormiendum, ita ut illi somnus esset instar tormenti, quia tunc DEUS amplius indulgebat demoni, & ipse bene utebatur humoribus. Frequentissimè illam invadebat in specie tauri, à quo petebatur cornibus, vel in specie alicujus molossi, qui commordebatur ipsius brachia, & manus: animadvertibat autem, illuminata à

DEO, quando somnia non erant purè naturalia, sed provenientia à demone. Aliàs in somno ex illusionè diaboli, sibi imaginabatur, quòd incidisset in grande aliquod malum, vel subiret grave infortunium, quòd, si non posset conformare Divinæ voluntati, unde vehementissimè affligebatur, ita ut in illo impleveretur, quod dicebat Job: Si dixerò: Consolabitur me lectulus meus, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.

☉)**(☉

CAPUT XVI.

Quomodo DEUS specialiter providerit, nè dimineretur ejus vita nimijs fervoribus, vel ob defectum virium, rerumve temporalium; aut per vehementia desideria patiendi.

Spectato ardore, quo Venemibilis Marina progrediebatur, certum videbatur fore, ut illam brevi vita deficeret, siquidem ipsam consumebant nimy fervores spiritus, ingentes debilitates ac dolores capitis, & alia afflictiones, quas in dies patiebatur majores, defectus quoque rerum temporalium, quo laborabat propter suam paupertatem, præcipuè verò vehementia desideria, patiendi multum pro DEO. Unde fiebat, ut nihil de se sollicitaretur, seu de sublevandis suis necessitatibus. Propterea cum esset quadraginta quinque annorum, illi dixit DEUS: quod fortè non esset diu scriptum, quæ tum conscribentur. Ego, inquit ipsa, suspicabar, quòd me brevi esset evocaturus ex hac vita, DEUS autem mihi dixit, id necdum futurum; & quia illis diebus eram quàm debillima, dicebam intrà me: (quasi nihil ipsius interesset, ut ullam sui gereret curam) non refert: oportet enim fieri, quòd Dominus dixit. Cum sic essem constituta, dixit mihi Divina Majestas: Gere curam tuæ valetudinis, quia nisi id feceris, non pervenies eò, quò te dixi perventuram: quod mihi dixit tam seriò, ac eo modo, ut mihi non fuerit relictus locus cogitandi,

hanc esse meam imaginationem; ideoque timui & respondi: Omnino faciam, Domine, quia tua Majestas ita vult. Non timebam tamen, nè non viverem paucis illis annis, sed nè, quantum in me est, impedimento essem, quò minùs in me impleveretur, quod vellet DEUS, qui sua in hujusmodi occasionibus promissa vult cum hac tacita conditione intelligi, nè illis creatura abutatur, tentando DEUM, & non faciendo, quantum in ipsa, id quod debet, ut mandetur executioni.

§. I.

Quia tamen illa suis ebria favoribus, non advertibat tantopere ad ea, quæ faciebat, modèratur illos DEUS magis providentià. Erat initio instar ollæ constitutæ apud magnum ignem, quæ ad eò fervet, ut omni ex parte bulliat, sitque opus, vel aliquid ignis extinguere, vel illam modicum removere, ut non tota ebulliat, meliusq; peragatur coctum ad lentum ignem. Ità hæc Virgo sentiebat quosdam tam vehementes & arduos affectus, ut illos cor non caperet, essetque necesse, ut DEUS ipse, nè consumeretur, & jacturam pateretur virium naturalium, cohiberet eam vehementiam, illamque diver-

diuerneret ad aliquid aliud, ut ipsa refert his verbis:

Cum quodam die nimium arderem istis affectibus, sensi DEUM nonnihil à me recedentem, seu me devolvi ad negotia, aliquantum aliena ab eo, quod ego tunc voluissem, & conversâ ad Dominum dixi illi: Domine mi, vidésne, quod me avertant à te? hoc mihi aliquoties accidit intrâ spatium duarum horarum, semperque repetebam eadem verba, dicendo etiam: Non volo Domine, ut me abducant à te. Tum mihi respondit Dominus: Abi, quia nihil tibi deest: Ego enim sum, qui hoc facio. Recede modicum, non enim potes tam multum sustinere. Ego distracta, non advertendo quid dicerem, respondi: Non, non, Domine, quia volo tecum mori; & nolo nec possum vivere te absente, Bonû animæ meæ, & cordis mei.

Sed DEUS me nolebat mori, & re ipsa faciebat quod volebat, auferebatque mihi interdum illû vehementé fervoré, & consolationé sensibilem, sicut mihi aliquando manifestavit, dum scriberem literas cuipiâ personæ constitutæ in necessitate, cum quadam spiritûs ariditate. Postquam enim Divinam Majestatem ita fuisset alloquuta: certè, mi Domine, nescio, quid prodesse possit, quod facio, siquidem id ago cum tam exiguo spiritu, & cum tanta tepiditate. Respondit Dominus: Bene sic fit: Noveris verò, quod, si semper in ijs, quæ agis pro meo honore, tibi darem spiritum & fervorem, quem tibi aliquando concedo, magnum indè caperet detrimentum tua naturalis imbecillitas, & quàm citissimè deficeret: atq; ob istam causam nunc, & alias te permitto facere aliqua bona, eo modo, quem tu vocas tepiditatem, & exiguum spiritum, tamen operibus, quæ in nomine meo facis, non desit sua vis & efficacia, quoad finem, ad quem diriguntur, ideoque, nè te id reddat sollicitam, sed prosequere tuum exercitium. *Hac ratione celestis Magister non solùm ducebat suam dilectam discipulam eâ viâ, in qua perseveraret, verùm etiam illi reddebat rationem eorum, quæ cum ipsa faciebat, quia omnia volebat prodesse alijs. Sed hoc totum non sus-*

faciebat, quò minùs illam vehementia affectuum magnopere debilitaret, ita res DEO disponente, ut libere ab exterioribus occupationibus exciperet Divina ipsius verba. Et cum Divina Majestati quodam die dixisset: Mi Domine, si tibi placeret, vellem esse prædita maximis viribus, ut inservirem meis infirmis domesticis, meæ matri, & omnibus pauperibus, atque constitutis in necessitate, quoscunq; est reperire in mundo: sed ad nihil aliud mihi vires suppetunt, quàm ut hîc tecum maneam, & in tua verser præsentia; quid faciam mi Domine? quid me vis facere? Deus verò ipsi respondit: Noli te angere, vel affligere: quiesce, & age, quod agis, quia hoc tibi est faciendum; alij autem faciunt aliud. Fuit illi id solatio, usque dum advenit tempus, quo suum etiam locum tribuit occupationibus, concernentibus utilitatem animarum, quemadmodum in posterum videbimus.

§. II.

Eadem providentiâ illi modestus est DEUS affectus, quibus incitabatur ad tolemendam pauperitatem, & penuriam rerum temporarium, ac derectionem creaturum in suis necessitatibus, nè jacturam pateretur valetudinis & vitæ, proficiendo ipsi diversis medijs de rebus necessarijs. Cum, inquit, vehementer essem debilis, & magnam paterer penuriam ac defectum necessariorum, quamvis ego mihi nunquam potuerim persuadere, me aliquâ re opus habere, neq; id curaverim, sed nec memor fuerim, præterquam mei DEI, in quo cor meum collocaveram, & confidentiam; providit mihi Divina Majestas per duas personas virtuosas, quibus nunquam fueram loquuta, neque illæ mihi, imò distabant multis levcis à loco, in quo vivebam. Sed ego, dum viderem, quomodo mecum DEUS ageret, hinc obstupescens talem bonitatem & providentiam; amansque ipsum, & gratias illi agens pro operibus ejus, inde verò turbata atq; afflicta, eò quod me DEUS non permitteret tolerare amore sui paupertatem & inopiam, timensque mihi ipsi, converti me ad Divinam Majestatem,

statem, cum lachrymis & magno dolore, dicendo ipsi: Bonum meum, ac Domine mi, quare sic Tua Majestas mecum egit, ut propterea timeam & contremiscam? qualia sunt ista opera tua? Meum Cor, quis à te hoc petivit? nunquid ego forsitan id petij? Non, certè, Domine mi: quod ego ex toto corde meo à te petij, ac peto, es tu ipse, & nisi te habeam, nolo acquiescere; atque ita quidquid aliud mihi offeratur, timeo illud & averfor, neque volo, sed te Bonum animæ meæ. Audivit Dominus, quod ipsi ego dicebam, & pro sua infinita bonitate, quietam me reddendo, & replendo ingenti solatio, mihi dixit: Vade, accepta, quod tibi do, quia eo indiges, & nè te affligas, neque turberis, quia pro te nullum amplius hac in re est periculum. Nonne bene recordaris, quòd, postquam perdidisti tuum antiquum Confessarium, qui sollicitè subveniebat tuis necessitatibus, mihi dixeris, te nolle, ut alius habeat illam sollicitudinem & molestiam, utque ego tibi succurrerem, si vellem, alio modo, eò quòd nolles Confessarios habere ejus rei curam? Audivi, quod mihi Divina Majestas dixerat, & recordata sum, ita factum fuisse; habuique propterea solatium, & conquievi, atque acceptavi elemosynam, quam me Dominus jussit suscipere, etiam permittente meo Confessario, adeoque ex obedientia.

Procedente postea tempore illi DEUS providit, de liberalioribus elemosynis per devotas personas, qui illas ipsi promptè & ultro impertiebantur, etsi illa eas ab ipsis non postularer: ac licet ipsius debilitates ac infirmitates fuerint graves & continua, proptèrque, illas multis rebus indigeret, pro earundem remedijs, semper illi prospiciebat largà manu. Nunquam tamen cor ipsius adhaesit ipsis, quae supererant, neque illa conservabat pro se, verum, ut haberet, quod liberaliter alijs elargiretur in necessitate constitutis, praesertim pauperibus neptibus, & alijs suis sociabus, ut fierent Moniales, quemadmodum suo loco videbimus.

§. III.

Multò tamen admirabiliorem se demon-

stravit Providentia DEI in conservanda vita sua famula, non solum inter tam exuperantes fervores, sed longè magis inter adeo terribiles cruciatus, quos passa est. Revelavit illi, quòd esset perventura usque ad quinquaginta annos aetatis, videbatürque ipsi significare, quòd juxta naturalem rerum cursum, & providentiam ordinariam, illos non esset superatum, sicut istam revelationem intellexit ipsa, & ejus Confessarius; non intellexerunt tamen eam bene, quòd illi ipse DEUS declamavit, ut videbimus inferius, cujus supernaturalis providentia, propter speciales rationes decreverunt, ut viveret pluribus annis inter tormenta, & martyria, tam diuturna, continua, varia ac terribilia, quae potuissent eripere vitam cuiusvis alicui robustiori. Sed tamen postquam cruciatus praeteribant, sive modo paucis, sive alias multis diebus, non sicus erant constituta, ac prius, quasi illi nihil accidisset; quia Divina Majestas singulari curâ attemperabat tormenta, & multiplicabat solatia, tam prodigiosa & admirabili varietate, ut satis manifestaret sapientiam, omnipotentiam, & suavitatem suae paterna providentiae. In ardoribus & siti, succurrebat illi fontibus & aquis prodigijs, in debilitatibus ac deliquijs; ipsam recreabat symphonijs celestibus; in desolationibus ac delectationibus, musicâ Angelicâ; in reliquis molestijs, illam deducebat in spiritu frequentissimè ad caelestem Jerusalem, ut ibi videret aliquo modo gloriam beatorum, seque cum ipsis exhiberetur, ac particeps fieret gaudiorum, quibus illi perfruuntur. Alias ipsi exhibebat spectanda nemora, hortos, & viridaria peramena, licet illa, quantum quidem possit, refugeret similia solatia corporalia. Denique Divina Providentia unâ manu ipsam stringebat, tam horrendis cruciatibus, ut illi videretur velle tollere vitam; & subitò alterâ manu, replebat talibus solatijs & favoribus, ut sufficerent ad eandem restaurandam; in quo se tam libentem exhibuit, ut ei aliquando dixerit, se illi in quolibet tormento, ab ipsa tolerando (erant autem innumera) ad futurum speciali aliquo auxilio & solatio. Elucet magis haec providentia in eo, quòd illam non solum per se ipsum, sed etiam per suos

suos Angelos, & multos sanctos, quos illi dedem, pro specialibus Advocatis, & Patronis exercuerit, injungendo ipsis, quam tenerrimis verbis, ut gererent specialem illius curam. Ex omnibus his experientijs concepit Venemibilis Marina maximam confidentiã erga Divinam Providentiam, unãq; heroicam resignationem in voluntatem sui DEI ac Domini, itã tamen, ut nullatenus possent

diminuere profundas ejus cognitiones propriarum miseriarum, aut persecutiones demonum, vel presentis vita necessitates, aut derelictiones & probationes Divinas; sicut apparebit in decursu hujus Historie; qua, quoad hoc, est deliciosissima, essetq; legenda, eo spiritu, ut inde capiatur simile solatium, ac fructus, qui non erit exiguus.

(e)**(a)

CAPVT XVII.

Quomodo Beatissima Virgo illam inceperit jam inde ab ejus initijs visitare, succurrendo ipsi in omnibus ejus necessitatibus, & exhibendo illi inusitatos favores.

§. I.



Primaria Patrona ac Adjutrix Venemibilis Marina, jam inde ab ejus initijs, fuit Sacratissima Virgo Domina Nostri, qua illam persepe invisebat in omnibus ipsius angustijs & necessitatibus, exhibendo illi semper favores prorsus extraordinarios. Veniebat, inquit, inusitata pulchritudine prædita & affabilitate; oculi ejus erant formosissimi, & similes oculis sui filij Christi JESU Domini Nostri, non solum quoad magnitudinem & colorem, sed etiam modum aspiciendi, & gravitatem ac majestatem, quæ illis inerat; adeo ut DEUS videretur ineffe oculis, & illi ipsius aspectui. Capillorum ejus color erat purissimi auri cœlestis, & erant in medio discriminati, projecti ad utramque sanctissimi capitis partem, in quo gestabat quoddam delicatum & elegans velum; supercilia erant cujusdam mirabilis coloris, nec prorsus nigri, neque rufi, sed ex utroque mixti; collum illius & guttur erat candidum instar nivis, speciosissimum & honestissimum. Cum magna porro mihi liberalitate ac benignitate dicebat, ut à se peterem quidquid vellem, exhibens se mihi promptam ad agendum de eo, cum suo pretioso filio. Atque dum quãdam occasione ab ipsa petivissem remedium quarundam necessita-

tum, non absque magna tamen verecundia & confusione, propter exigua obsequia ei à me præstita, illa mihi dixit: Noli esse tam verecunda; pete quidquid volueris. Dum itaque hujus dicti memor, ab illa peterem, ut oraret pro me DEUM, quò me efficeret humilem, obtulit se oculis animæ spectandam, præferendo cœlestem pulchritudinem; manus habebat nitidissimas, ac decussatim invicem superpositas, atque in Divino ipsius vultu replendebant eximie ejus virtutes, ipsius Castitas & Humilitas, Charitas, & Mansuetudo, Modestia, & Affabilitas: quamvis autem mihi citò disparuerit, intelligebam tamen ipsam adesse, & cœpi illam rogare, ut oraret DEUM, quò mihi daret unam micam Humilitatis & Charitatis, quæ repleverat sanctissimam illius animam. & dum nonnihil essem cogitabunda, timens, an ista non esset aliqua imaginatio, dixit mihi Dominus: Non est imaginatio: sed ego tibi huc adduxi meam Matrem, ut illam videres.

§. II.

Quãdam vice, cum paterer graves dolores, & vexarer febribus, quæ me impediabant, nè possem agere cum DEO, meque resignare in ipsius manus, dicebam illi sæpe ea verba, quæ Beatissima Virgo dixit ad sanctum Gabrielem: *Esce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:*

L 3

profe-

proferebam illa tamen magna cum verecundia & confusione, quia recordabar puritatis, humilitatis & obedientiæ, quâ fuerant prolata à Beatissima Virgine, & videbatur mihi esse audacia, quod ea proferrem ore adeo repleto superbiâ & inobedientiâ; ideoque aliquando illis pronuntiat cum majore, quàm aliàs, confusione, converti me ad Beatissimam Virginem, petens ab ipsa veniam temeritatis, quâ protuleram ore meo immundo verba, quæ illa pronuntiaverat suo purissimo, & pleno abundantissimâ gratiâ. Cùm hoc dixissem, comparuit mihi ista magna Domina, dixitque mihi peramanter: Noli verecundari, neque ex pusillanimitate id omittas dicere; dic agè, dic licet: & hoc dicto, sejunxit modicè brachium, exporrexitque manum ad me, dicens mihi: Quid habes? quid tibi dolet? sentiebam verò tunc vehementem dolorem, atque intelligens, quòd me Domina nostra vellet curare, applicatâ manu ad locum doloris, dixi: Hic, Domina, sentio dolorem: fuique in eodem momento adjuta & curata, nec parùm obstupui tam repentinam sanitatem, pro qua magnas agebam gratias illius auctori. Advenit diabolus actus in rabiem, ob id, quod venerat, ut me inquietaret, persuasurus mihi, illam visitationem non fuisse Beatissimæ Virginis. Eram quodammodo perplexa, quia nec audebam credere talem fuisse, nec, idque multò minus, non fuisse, propter bonos effectus & affectus, qui ex ea visitatione mihi provenerant; recurri ad DEUM, quemadmodum in hujusmodi eventibus consuevi, cupiens ab illo hac de re illuminari, qui post unius horæ spatium, quo duravit tempestas, me reddidit quietam & securam: rediitque sacratissima Virgo ad me invitanda, placando me, majore mihi collato lumine, cum quo agnoscerem, ipsam fuisse, quæ me visitaverat, & sic mihi satisfecit.

Aliàs, cùm supplex à DEO peterem, nè vel in minimo recederem ab eo, quod esset conformius Divinæ voluntati, & inruerent sanctos Angelos, qui mihi semper assistunt, vidi illos solito elegantioribus ve-

stibus indutos, dixique ipsis: Domini mei, quomodo sunt tam compri? celebraturne aliquod festum in cœlo? Responderunt mihi: Non est ullum speciale festum, sed propter te ita fumus induti: tu enim futura es nostrum festum. Deinde dixit mihi sanctus meus Angelus Custos: Para te, vult enim tibi DEUS præstare quandam magnam gratiam, ut sacratissima ipsius Mater te invitât. Ego fui turbata, ac dixi: Non sum digna tali gratiâ, & quid possum dicere, nisi quod dixit sancta Elisabetha: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Vix hoc dixeram, cùm vidi multos Angelos venientes, Dominamque nostram tormosissimam, more solito, quæ me incepit solari in meis molestijs, dicendo se futuram meam Matrem ac Advocatam; atque ut à se peterem, quidquid vellem. Quia verò eram turbata, eò quòd me puderet tantæ gratiæ, desiderabam recurrere more meo ad Christum Dominum, ab eoque postulare lumen ad cognoscendas ipsius veritates, ac nè me permitteret decipi. Sed non poteram avertere oculos animæ à Sanctissima Virgine, & prosequerbar, ut potui, meam orationem. Vidi autem subito Christum Dominum juxta suâ sanctissimam Matrem, qui mihi insudit ingens lumen illius veritatis, ut quietè fruerer eâ gratiâ ac visitatione, & quasi me increpando, dixit: Nunc tibi possem dicere, quod dixi incredulo Apostolo: *Quia vidiisti me, credidisti.* Mansit mecum aliquamdiu Celsissima Virgo, ac deinde disparuit, relinquens me plenam solatio.

§. III.

A Liâ vice, accommodando se conditioni muliebri, solata est illam hoc modo: Dum, inquit, essem valde debilis, comparuit mihi Sacratissima Virgo, dixitque mihi: Quomodo vales? quid facis, Amica? & cùm ego illi exponerem meam debilitatem ac miseriam, respondit mihi: Nè te id affligat, quiesce & dormi, fumus enim hic tecum. Quia verò non poteram quiescere, licet conarer, dixi illi: Non possum, Domina, quamvis velim. Tace er-

go (ait Sanctissima Virgo) nam ego te sopiam. Et postquam ad me accessisset, incepit altissimo ac Divinissimo spiritu quasi canendo (canebat autem re ipsa & vere) sacratissima ipsius anima altè & sublimiter contemplari mysterium Incarnationis, sui pretiosissimi Filij. Atq; ista contemplatio & cantus Virginis, fuit tam vera musica, ut ego omnino possem referre sonû vocis ac tonum, & quædam verba Divinæ ipsius cantilenæ: sed cum illam audirem, mea anima fuit abrepta, & meus spiritus elevatus atq; unitus cum spiritu sanctissimæ Virginis, ut nihil aliud sentirem, quàm illud tantum bonum. Videns autem me Celsissima illa Virgo ita constitutam, dixit mihi quàm amantissimè: Eja amica, etiam tu modò mecum cane istam melodiam & cantilenam. Et statim, postquam DEUS elevavisset meum spiritum, incepi cantare atque contemplari cum Sanctissima Virgine, proprio ipsius tono, & cantu, imitando ipsam, & quasi juvando in ejus contemplatione & musica, ac verbis ita Divinis, sicut me docebat Dominus: quæ contemplatio fuit sublimior & excellentior omnibus, quas unquam anima mea antè habuerit, vel fuerit experta. Hoc, meo iudicio, diu duravit: deinde conticui, & meus spiritus mansit elevatus ultra duas horas. Quando verò cessavit iste raptus, non vidi sanctissimam Virginem (quæ jam abiverat) ac fensi me plurimum sublevatam, & corroboratam in mea debilitate: fuique per multos dies memor illius cœlestis melodix, ac nonnullorum verborum cantilenæ, ita ut illa pronunciaret etiam mea lingua, & quotiescunque recordabar istius spectaculi, denovo elevabatur meus spiritus, ac mea debilitas confortabatur.

Aliàs, cum essem intenta profundæ cuiusdam cognitioni mei ipsius, quæ me angebat, & quasi demergebat in altissimum puteum, unde non poteram egredi, ut mihi viderer submergi, alloqvuta me est sanctissima Virgo, dixitque mihi: Relinque jam id modicum, noli ita animam meam affligere. Ego verò conabar facere, quod mihi imperabat, sed non poteram. Quod videns sanctissima Virgo, conata fuit me

distrahere dicendo: Omitte hoc modò, & aspice. Elevavi oculos animæ, & aspexi, ac vidi, istam sacratissimam Dominam mirum in modum speciosam, quæ jam demittebat oculos, jam modicè attollebat, quàm modestissimè, ac affabilissimè, intuendo me peramanter. Vidi illam sedentè quàm modestissimè, & habentem in suo sinu pulvillum, cui hinc atque inde adhærebat strophium elegantissimum, artificiosissimè exornatum puro auro, & coruscantibus gemmis, quod elaborabat aureis filis quàm nitidissimis. Iste verò modus acupingendi erat tam Divinus, ac mysterijs plenus, ut illum nemo possit explicare, quia ita videbatur laborare, ut adverterem eum laborem, non tunc peragi, sed jam antè fuisse peractum. Dum viderem cœlestem gratiam, quæ inducebat fila in suam acum, & efformabat gyros ac mæandros elegantissimos, opere Phrygio attexens aurum & gemmas, fui ipsius aspectu mihi met erepta, magno repleta solatio, & oblita mei, ac miseriarum, in quibus antè hæseram, quasi essem submersa.

Quod ad hanc visionem attinet, advertendum est, elaboratione hujus strophij significata fuisse, quantum quidem præsumi potest, Myseria nostræ Redemptionis, quæ fuerunt peracta in Sanctissima Virgine. Paulo enim post iterum se illi Dominus spectandum præbuit hac ratione: Vidi, inquit, in spiritu altare, cum suis candelis accensis, in quo stabat quædam parva Eucharistica Hierotheca, continens sanctissimum Sacramentum, ad quod accedens quidam Sacerdos vestitus sacerdotaliter, habuit in suis manibus pretiosissimum illud strophium, in quo Domina nostra, quædam plenissima mysterijs, efformaverat; & hoc usus est accipiendo sacrum ferculum sanctissimi Sacramenti, quando se cum illo vertit, quemadmodum consueverunt Sacerdotes, dum id volunt occludere, postquam aliquamdiu fuit expositum in templo, & quidem lentè, sicut fieri solet, ut illud possint omnes adorare, ejusdemque aspectu reverenter frui. Interea Angeli, qui aderant, curvatis genibus inceperunt canere illam partem hymni: Tantum ergo
Sacra-

Sacramentum. Tum ego indigna vidi ipsūmet Christum Dominum, quem reverentiā, quā potui maximā, adoravi.

§. IV.

Alium mihi insigniorem favorem exhibuit hæc Domina circa festum Nascēntis Christi, istā occasione. Præstiterat mihi Dominus DEUS quandam gratiam, quam instantè & enixè ab illo petiveram, ut paterer aliquam necessitatem corporalem; careremque aliquando ijs, quibus eget hoc miserabile corpus, quod nē terram quidem meretur, quam calcat. Dum autem me in hujusmodi constitutā necessitate magno cum solatio animadverterem, fui quadam vice, tempore matutino, tam debilis, ut mihi re verā videretur esse impossibile surgere ex lecto, absque speciali auxilio DEI. Oravi, sicut soleo, & ecce visitavit me sacratissima Virgo, cōparens mihi, exhibensque illum speciosum ac Divinum vultum latissimum, & ostendens se dolere meas vices, peramanter mihi dixit hæc verba: Quomodo vales Amica? Dic, age, quis rerum tuarum sit status? Ego miserabilis id audiens, respondi ipsi cum magno gaudio: Optimè equidē Domina sum comparata, quia mihi DEUS dedit, quod tantopere desiderabam, ut nempe taliter amore ipsius quidpiam paterer: quā ratione celebravi, & celebrabo feliciora festa, quā unquam in vita mea celebraverim. Bene est (dixit Sanctissima Virgo) ego tamen modò pro te venio, & volo te mecum ducere. Considerans ego, quomodo essem constituta, respondi illi: Quò, Domina, me vis ducere? Respondit Regina cœlorum: Volo te ducere ad meā domum Nazarethanam, ubi ego vivebam his diebus proximis meo partui, veni mecum, nē tibi id accidat molestum, neque timeas, nē deficias in via, quia pane, quem ego comedam, tu quoque vesceris. Hoc audito, admirans tantam bonitatem, & plena magno, quo erga illam ferebar, amore, dixi ipsi: Fiat, per me licet, Domina, cum hæc sit tua voluntas. Sed undē mihi

tantum boni & favoris, ut, cum ego sum ea, quæ sum, tam miserabilis ac indigna, comedam de Divino Pane, quem tu comedis? duxit me subito in spiritu ad suam sanctam Domum Nazarethanam; & postquam ad illam pervenissem, sensi peculiarē defatigationem, quasi ipsum corpus iter illud confecisset, etsi ego nesciverim, quomodo res fuerit acta, nisi fuisse me ductam à sanctissima Virgine, quæ me solata est, & valde exhilaravit, atque positā quādam parvā mensulā, aperuit etiam parvam delicatissimam & elegantissimam peram, quæ super illam jacebat, ex eaque extraxit partes panis, non adeò parvas, scissas ex candidissima spira. Primam, quam exemerat, dedit mihi dicendo: Quiesce, Filia, & comede ex hoc Divino atque cœlesti pane, qui tibi conferet robur ac vires. Ego illum accepi cum magna admiratione, & consolatione meæ animæ, comedique ex eo, ac sensi in ista comestione, cœlestem ac Divinum gustum, & confortationem tantam in corpore (quod jam erat quasi destitutum vigore ac viribus) ut mihi illud viderer habere quasi resuscitatum. Elapsis horis meæ collectionis, reperi me in meo cubicello, affluentem solatio, & corroboratam meam debilitatem, ut mihi duraret ille vigor, & corroboratio multis diebus, ac pluribus admiratio, & solatium spirituale, cum memoria hujus Divini convivij, quod mihi instruxerat sacratissima Virgo.

Post aliquot abhinc dies, mihi præstitit Beatissima Virgo alium similem favorem, in mea debilitate; quia cum essem rursus in ejusmodi necessitate constituta, dixi quodam die sacratissimæ Virgini, etsi cum ingenti verecundia, ut mihi dignaretur, attentā meā indigentia ac debilitate, dare tantillum de illo suo Divino pane, quem mihi prius dederat, eò quòd aliās putarem me defecturam. Respondit mihi sacratissima Virgo, daturam se illum mihi libenter, suo tempore. Solata me est hæc spes, & elapso modico tempore, comparuit mihi, accessitque ad me, quasi festinanter, & non se detinens, suo more; dedit mihi duas partes illius sancti Panis, unā candi-

candidiorem alterâ, dixitque peramanter: Accipe Amica, accipe Filia; comede, quiesce, ac recupera vires, & vale: quia ego veniam (acsi diceret, diutius apud te manfura) & curabo te. Ego miserabilis accepi illum sanctum Panem, & comedi spiritua-liter, recuperaviq; denuò vires, sicut primâ vice: atque licet refectio fuerit spiritualis, possum verè dicere, qualis, non solum color, sed etiam sapor fuerit panis, qui erat suavis ac delicatus, & habebat quandam certam dulcedinem, ut differret à pane nostrate, videreturque allatus ex alia regione.

§. V.

Istigmatia, quod ducta fuerit à Beatissima Virgine ad suam domum Nazarethanâ, quæ nunc est Laureti, adjungemus aliam; quâ illam deduxit ad Sacellum Lauretanû, quod est in Domo Professû hujus Civitatis Vallisoleana. Dum quodam die vehementer affligeretur à suis doloribus, visistavit ipsam, more solito, sanctissima Virgo, stipata multis Angelis, & miraculose, pro ejus solatio, illam duxit, non solum in spiritu, sed unâ cum ipsiusmet corpore ad hoc sacrum sacellum, quod nomen habet à Beatissima Virgine Lauretana, atque postquam ipsam ibi collocavisset, dixit ei, ut omnes, seque illi commendaret, & memoria ejus sanctæ Domûs, pro obtinenda magna virtute, & viribus contra demones, à quibus eo tempore maturino fuerat afflictâ, quod illa fecit cum magno solatio, & Beatissima Virgo ei comparuit, modo quodam valde sublimi, præferendo specialem. Majestatem; estq; probabile adfuisse ibi Virginem, cum corpore simul & anima, quia comparantibus ibidem Nostro Sancto Patre Ignatio, & glorioso Patre Sancto Francisco Xaverio, ubi se inclinavissent comm Regina cali, dixit Sanctus Pater Noster Ignatius: O felicem terram, & sacellum, ubi hac magna Domina fixit suos sacros pedes! Postquam autem illic aliquamdiu mansisset, fruita hac felici visione, & dulci conversatione, cum duobus Sanctis, egressi sunt omnes simul ad portam usque templi, & remanentibus ibi duobus Sanctis, Sanctissima Virgo, à qua fuerit eò deducta, secum ipsam abduxit, itâ

ut non per terram, nec admodum altè, supra domos, sed per plateam procederet, nonnihil elevata à terra, quin videretur, donec illam reponeret in ipsius cubiculo, & nihilominus erat ex via aliquantum fatigata, sed tamen affluebat solatio, propter præstitam ipsi gratiam.

§. VI.

Aliâ vice, ait, dum vehementer debilitata vacarem orationi, vidi Christum Dominum, qui doleas meas vices, incepit sacratissimis suis manibus solvere, ac discingere à suo sancto corpore quoddâ cingulum intortum, sed carens nodis, contextum ex purissimo auro coelesti, in cujus extremitate erat quoddam ornamentum, etiam aureum pretiosissimum: & accedens ad me, imposuit illud meo collo, decussando ipsius extremitates. Dum autem me viderem sic ornatam, fui abrepra, & stupui hujusmodi opera, convertensque oculos animæ ad alteram partem, vidi sacratissimam Virginem, Dominam nostram, quæ habebat in suis manibus quoddam elegans velum, aureum ac argenteum; & accedens ad me, peramanter illud imposuit meo capiti, relinquendo me eo tectam. Ego id admirans cogitabam intrâ me, quid esset? ac tum Christus Dominus mihi aperuit mysterium, dicendo mihi: Scias, quòd Ego & Mater mea tibi imposuerimus istû funem & velum, ut te recrearemus, novâque tibi conferremus vires ac sanitatem capitis, eò quòd sis vehementer desolata & infirma. Nam sicut ad sanandum ægrotum, imponunt ejus capiti aliquod sacrum lipfanum, vel vestem cujuscumque piæ imaginis meæ Matris, atque sic sæpe convalescit, respirat ac recreatur, itâ ego nunc, & mea Sancta Mater, ut tibi conferremus sanitatem & vires, volumus tibi præstare istam gratiam & favorem, ut tibi imponeremus hoc cingulum, quod tetigit meum corpus; & hoc velum meæ Sanctæ Matris, quod fuit in ipsius sacris manibus, quibus est impositum tuo capiti, ideòque habe solatium, & gaude. Fui magno solatio & gaudio repleta, & post hoc statim mihi est ablatum cingulum ac velum, manibus

M

quo-

quorundam sanctorum Angelorum, pauloque post abivit Christus Dominus, ac sanctissima ejus Mater, relinquentes me ingenti perfusam solatio, & refocillatam meam debilitatem, sanataque à gravissimo dolore capitis, quem tunc eram passa; quæ confortatio duravit multis diebus, & sanitas capitis longè diutius.

Deniq; quodam die Sancti Ildephonsi, conspexi, *inquit*, in mea collectione Dominam nostram, indutam veste & pallio coloris cærulei, similis colori cælesti, ac redimitam coronâ aureâ. Atque dum illam intuerer, vidi impositam fuisse ejus manibus quandam pretiosissimam vestem Sacerdotalem (quam appellamus casulam) coloris, qui nec omnino videbatur esse albus, neque prorsus cæruleus, sed ex utroque colore mixtus, eratque ornatus gratiâ gemmis referta. Ostendit mihi illam, ut ipsam aspicerem, dicendo: Ecce

hæc est vestis Sacerdotalis, quam ego dedi meo dilecto Ildephonso, sic enim honoro meos amicos, & clientes. Deinde illam dimisit ex manu, posuitque ita extensam super humeros & caput unius Angeli exstantibus. Cùm autem illam audiverim dicentem, quod ita honoret suos servos, exhibeatque se peccatoribus Matrem misericordiæ, incepti ipsam rogare, ut oraret DEUM, pro nonnullis animabus, quæ se mihi commendaverint. Sanctissima Virgo mihi respondit; se oraturam, ac facturam quidquid posset, juxta illarum dispositionem: & quia tunc patiebar vehementem dolorem capitis, posuit super illud, eadem Beatissima Virgo, extremitatem sui pallij, quo erat cooperta, statimque habitus meliùs, & reliquit me plenam solatio, magisque confortatam in suo servitio. *Alia innumera visiones referentur suis locis.*

☉)**(☉)

CAPVT XVIII.

Quomodo Sanctus Noster Pater Ignatius illam ineeperit persæpe invisere, manifestando ipsi amorem, quo prosequitur omnes suos filios, & curam, quam illorum gerit, eamque juvando in omnibus suis afflictionibus, & quid ipsi contigerit, quoad Sancti canonizationem.

Vamvis Venemibilis Marina à sua infantia egerit cum Societate, fueritque speciali devotione prosequuta ejus Fundatorem Sanctum Patrem Nostri Ignatium, noluit tamen ipsi DEUS illum spectandum exhibere usque ad quadagesimum circiter annum ætatis, quo tempore hic Sanctus Patriarcha illam incepit visitare, ac agere cum illa tanquam filia, familiaritate prorsus singulari. Occasio ejus rei fuit, quod cùm propè quotidie adiret templum nostra Domus Professe Vallisolethane (quæ est muata in Collegium, & nunc appellatur Collegium Sancti Ignatii, diffunderetque tantos virtutis splendores; à gravibus Patribus, qui illam incolebant, & Superioribus, fuerit rogata, ut DEO commendaret quadam negotia

magni momenti, quæ eo tempore agiebantur.

§. I.

Qualiter illam visiterit, & quid cognoverit de ipsius canonizatione.

Jussit me, *inquit ipsa*, aliquando Pater Visitator Societatis, qui vocabatur Garcias de Alarcon, vir insignis virtutis ac prudentiæ, commendare DEO duos graves Religiosos & Lectores Theologiæ, qui concertabant de suis opinionibus; unde oriebatur nonnulla turbatio, & metuebatur quidpiam mali. Feci id per aliquot dies, & cùm mihi jam videretur esse Visitator suâ solutus curâ, audirémque dicentem ad populum Patrem quandam ex Societate

con-

conspexi juxta illum oculis animæ S. Patrem Ignatium, quàm modestissimum, oculis demissis, brachijs ac manibus antrorsum compositis, mente collectissimâ: & quia ipsum nunquam aliàs videram, aspiciebam illum assidue, statimque demittebam oculos animæ, quibus illum intuebar; verecundabar enim propter istam novam visionem. Subitò verò mihi revocavit in memoriam illos duos Patres sui Ordinis, ostendens se affligi ob istud dissidium suorum filiorum: & cum ex me quæreret, cur fuisset oblita cõmendare ipsos DEO, intellexi, Beatos, licet non possint dolere, neque affligi, tamen se exhibere tristes, & afflictos; ut inde intelligamus, quòd offendamus & molestemus, quantum est in nobis, illos, quos specialiter tenemur amare, ac honorare. Ex eo ergo tempore incepi quàm instantissimè commendare DEO eos Patres, & post biduum agens cum Divina Majestate, interrogavi, an is, quem nudius tertius videram, fuerit sanctus Fundator Societatis, & quid ex sancta ipsius voluntate mihi esset agendum in eo negotio, de quo mihi fuerat loquutus. Et Dominus mihi respondit: Omnino, ipse erat; petivit enim facultatem tui invisendi, tibi que revocandi in memoriam id, quòd dixit; quam ego ipsi dedi. Quòd autem modo tibi, sine excusatione, faciendum incumbit, est, ut scribas Patri Visitatori, de illis duobus Patribus Religiosis, inter se dissidentibus; quòd ipsis dicat, ut recordentur se debere esse sal terræ, atque suo exemplo & circumspèctione, ac modo procedendi illuminare ignorantes, qui nesciunt, quænam sit melior via ad beatitudinem, eosdèmq; juvare in illorum tentationibus, & in laqueis, quos diabolus ac mundus conantur tendere ijs, qui ambiunt vanam gloriam, & æstimationem hominum: ac proinde, nè velint, nec permittant, ut hi tales sumant occasionem scandali, & imitandi mali ipsorum exempli, rumpendiq; per gravia peccata capitis: siquidem debilibus, si illis præbeantur occasiones, est facillimum in ea incidere. Postquam hoc à Domino audivissem, extimui, ac dixi: Egone, Domine, hoc scripsero, cum simplex

& imbecillis, ac miserabilis sim mulier? Já aliàs mihi dixerat Dominus hoc ipsum, & excusaveram me. Sed istà vice mihi respondit: Ità te id oportet facere, quia par est, ut hanc monitionem sequatur emendatio: quæ si non fuerit sequuta, puniam illum, cujus culpâ id acciderit. Subitò dixi: Noli, noli, Domine, per misericordiã tuam & bonitatem, noli id facere, mi Domine; & exhibui me promptam ad scribendum, quòd Divina Majestas jubebat, ac volebat, uti feci, quia sinè magno scrupulo jam non poteram aliter facere.

In hoc eodem colloquio, quòd habuit cum DEO, postquam jam de facie agnovisset Nostrum Sanctum Patrem Ignatium, cui tantopere emt addicta. Petebam, inquit, à Divina Majestate, eam mihi fieri gratiam, ut ante meam mortem viderem canonizatum hunc sanctum Patrem, pro ipsius gloria, & solatio ejus filiorum, ac omnium nostrum, qui sumus educati illius doctrinã, & instructione. Divina Majestas nihil aliud dicebat, quàm: Bene est; ità ut nec abnueret, neque clarè annueret. Ego verò, quia hoc impensè desiderabam, mora ab eodem Domino, qui interdum dat licentiam miserabili formiculæ ità loquendi, dixi illi animosissimè: Mi Domine, non dicat Tua Majestas: Bene est, bene est; sed dicat: Ità. Tunc dixit: omnino id futurum, sed non mihi dixit, quando.

Ponderabam, *pergit*, sanctam & profundam hac in re humilitatem gloriosi Patris Sancti Ignatij; quia dum quodam die cum illo agerem, ex eo affectu, quem in meo corde sentiebam, dixi illi: Quando te videbo adscriptum numero Sanctorum? Tunc Sanctus Pater apposuit digitum suis labijs, dixitque mihi admodum serio, & quàm humillimè: Tace, nè mihi de ista re vel verbum loquaris. Ego fui territa, & volui me quodammodo excusare, quòd non alia de causa hoc dicerem, quàm ut id peterem à DEO: sed Sanctus mihi dixit; se nolle, ut cum DEO de hoc negotio agatur. Atque idem contigit alijs duabus vicibus, postquam inadvertenter incepissem aliquid de eo insinuare: quia Sancti, existentes in cœlo, qui jam noscun-

rum illorum filiorum, conscripsi eos, quemadmodum vidisti.

Aliàs, cum audirem Sacrum in templo Domus Societatis, vidi Sanctum Patrem Ignatium, qui stabat juxta summum altare, capite aperto, ac tenens pileum clericalem in manu: aspiciebat sursum versus, & habebat defixos oculos in Hierotheca Eucharistica, quæ erat nova, & pulcherrima. Visâ mihi fuit res mira, videre ipsum ibi, & nescio, an non modicum dubitaverim, dicendo tacitè: Bone DEUS, ita nemò Sanctus Pater est in templo? statim me intellexit, ac dixit: Ità hîc sum, & non primâ vice; nam & aliàs hîc fui, ac visitavi istud templum, ac meos filios in eo. Ego enim impensè amo meos Filios, ac visito ipsorum templum, unâque eos, qui in illo sunt; cujus rei erat indicium, quod illum viderim demittentem oculos, quos elevatos habebat aliquoties ad summum altare, ac illos defigentem in Patre, celebrante Sacrum, atque sibi in ipsius aspectu complacentem. Aliâ vice, cum obiisset quidam Frater Societatis, posuerunt illius corpus in summo Sacello, in quo convenerunt omnes Patres & Fratres ad persolvendum Officium Defunctorum, antequam ipsum traderent sepulturæ, ut fieri consuevit in Societate. Dum ibi essem, aspexi summum altare, & vidi juxta unum altaris latus è regione defuncti, & Patrum ac Fratrum, stantem Nostrum Sanctum Patrem Ignatium, eo modo vestitum, quo Patres alios, cum suo pallio & bireto, tam sanctâ conspicuum gravitate ac modestiâ, ut illum nemo videret, qui se coram eo non prosterneret, ipsumque non amaret, & illi non desideraret ex toto suo corde servire. Semper stetit capite aperto, & clericalem pileum manu tenens, ac vultu converso ad defunctum; post ipsum autem, stabant tres quatuorve Fratres induti superpelliceis, capitibus detectis, magnâ cum demissione atque attentione. Sanctus Pater stabat tacitus ac attentus, quasi auscultaret Officium, quod dicebatur, atque ita significabat se nolle loqui. Ego eram tam attonita, tantoque solatio affluebam, quod illum viderem, ut vix mei essem compos,

vel scirem, ubi essem. Absque locutione mihi tamen significavit, ne discederem, donec ferretur corpus Fratris ad sepulchrum, quod ipsi in ingressu daturus esset benedictionem. Ego hoc intellecto eram valde sollicita, ut viderem ab eo dari benedictionem, tamen quando erat auferendus defunctus, nescio, quomodo fuerim distracta, ut aspicerem Patres, vel aliquid aliud, & quando me verti, jam non vidi Sanctum Patrem Ignatium, neque Fratres ipsius Socios, qui discesserant, ideoque illum non vidi benedicentem. Unde vehementer fui confusa, & afflictâ, quod hoc meâ culpâ accidisset.

§. III.

Visitat illam, ac defendit in omnibus illius afflictionibus.

DEinceps illam multò sæpius invisebat Sanctus Pater Noster Ignatius, qui eâ adibat, præbiturus ipsi solatium, & auxilium in omnibus afflictionibus, dirigendo illam in universis dubijs, ac perplexitatibus: & ipsa ei exponebat omnes suas miseras, ad eum modum, quo illas posset exponere suo Confessario, vel Patri spirituali, alloquendo ipsum magna cum familiaritate, ortu ex frequentibus visitationibus, quamvis idcirco nunquam minùs, imò eò magis illum suspiceret ac revereretur: cum enim hæc omnia, non corporaliter fierent, sed spiritualiter, & eo modo, quo anima ac Spiritus Beati invicem conversantur, non alio quàm Divino in omnibus dirigebatur lumine. Licet autem hujus rei multa fuerint oblata exempla, apponemus plura alia, non minùs nimbilis, quàm sint catem illustriora, quæ impostero videbimus: inprimis enim illam in ipsius infirmitatibus & languoribus visitabat ac solabatur eum in modum, quo amicus solet his temporibus invisere alium amicum; quanquam ipsa habuerit cor ad eò DEI amore flagrans, ac desiderio eidem serviendi, ut ab illo sollicitissimè ac instantissimè perpetuò peteret, se commendari DEO, exoriturque sibi omnium Divinarum gratiarum continuationem. Sanctus autem illi aliquando dixit, ita futurum, ut proinde sileret, & quiesceret, eò quod illam.

tur in illa Ecclesia triumphante, ubi habent verum ac æternum honorem coram DEO & Angelis ipsius, cæterisque Beatis spiritibus, non sunt solliciti, neque se volunt ostendere sollicitos de eo honore, qui illis deferri potest per canonizationem, in Ecclesia militante, permittentes se Providentiæ DEI, qui omnia dirigit ad suam gloriam, & bonum suorum fidelium. *Sed jam patuit veritas istius revelationis, quia anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo secundo, duodecimâ Marty, illi summus Pontifex Gregorius XV. Sanctorum Fastis adscripsit, atque unâ Sanctum Franciscum Xaverium, fidelissimum ipsius, & excellentissimum Filium, ac socium.*

S. II.

Cura, quam Sanctus Pater Noster Ignatius habet de suis Religiosis, manifestata isti Famula DEI.

Post hanc primam visitationem, incepit Sanctus Pater Noster Ignatius illam sepius invisere, exponendo ipsi amorem, quo fertur erga suos Religiosos, & suam de iisdem cum in vita ac morte; quam in rem adferemus tres memorabiles casus. Cùm, inquit, aliquando essem afflicta quadam cruce, quam Dominus mihi immiserat, dignatus est me Sanctus Pater Noster Ignatius invisere, adducens secum duos Fratres ex Societate, & postquam consedisset, vidi, quòd inceperit scribere, scripsitque satis diu, sublimissimè, & admirabilissimè, ac tam spiritualiter, ut me mihi eriperet, dum ipsum intuerer, nec ab eo possem avertere oculos animæ. Non intellexi tum, quid scriberet, sed quemadmodum mihi videbatur, erant res concernentes Societatem. Interea vidi diabolum juxta meum lectum, quasi in specie sædissimæ simiæ, qui simulabat se velle conscendere lectum, ut me calcaret ac affligeret. Ego illum non curabam, sed dum ipse perseveraret in hoc sepius attendendo, petivi à Nostro Sancto Patre Ignatio, ut à me abigeret illum infelicem. Sanctus interruptâ scriptione annuit mihi capite, dicendo, nè id molestè

ferrem, neque metuerem, & subito est prosequutus inscriptionem. Atque ego iterum aspiciebam, quomodo scriberet: paulò autem post conspexi ad meum latus sanctum meum Angelum Custodem, qui mihi dixit, nè timerem, eò quòd ipse me custodiret. Dum ista omnia fierent, adstabat diabolus quietus, ità ut se non moveret: si tamen se movit, unus ex illis Fratribus percutiebat pede terram, sicut fieri solet, ad terrefaciendum aliquem canem, statimque diabolus terrebaratur, & se componebat, ac attollebat suos maledictos & sædos oculos, intuens Fratrem, à quo terrefebat. Et intellexi, quòd illum sanctum Fratrem timuerint diaboli, dum viveret. Aliquantò post fugit diabolus, & ego pergebã contemplari Sanctum Patrem Ignatium scribentem, ac Fratres, qui post illum stabant, detectis capitibus, cum magna humilitate. Postea Sanctus cessavit scribere, & mansit apud me aliquamdiu, consolando me quàm amantissimè, conciliavitque mihi quendam somnum, seu abstractionem à sensibus: & quando fui expergefacta, non vidi illum, quia abiverat, non manifestato mihi secreto suæ scriptio- nis. Alià tamen vice me visitavit, ut me solaretur in mea afflictione & cruce, narrando mihi nonnulla, quæ sunt in Cælo, de communicatione mutua Beatorum, longè alia, quàm sit ea, quæ hic habetur, dicendoque mihi aliquid de modo, quo peragitur, id quod ego non scirem declarare, præterquam, quòd mea anima cœperit inde magnum solatium, fuerimque attonita, audiendo, quæ mihi ab illo dicebantur. Et quia intellexit desiderium, quo tenebar, rescindi, quid præteritã vice scripsisset, dixit mihi, fuisse numerum bonorum filiorum Societatis, ut specialem eorum curam gereret. Tum ego illi dixi: Ergone Sancte Pater ideò opus erat, ut ipsorum inires numerum, & illorum hac ratione recordareris, cùm in cælo Beati obtineant, & sciant à DEO, quidquid volunt? Respondit mihi gloriosus Sanctus: Verum est hoc: sed ut ego tibi id ipsum ostenderem, à me sciri, cognosci in DEO, quòdque specialem curam geram meo-

vehementia, cum qua loquebatur, vehementer esset debilitatum. Et postquam ipsa illi dixisset, quānam ratione esset tolerabile, si eo presente, dum ipsam tam gratiosè dignatur invisere, esset usque adeò improvida, ut taceret, neque ex ea gratia fructum caperet, aut ipsa bene uteretur, petendo nimirum, ut se DEO commendaret; Respondit illi Sanctus: Nunquāne vidisti ullum Religiosum, qui ut solatium adferat infirmo, invisit ipsum, & ob illius debilitatem ac indispositionem, non multum cum eo loquitur, neque illum loqui permittit, sed tamen apud ipsum manet, ut ei adsit, & illum soletur. Existima igitur me itā tecum agere. Fuit recreata, dum sibi talia audiret dici, & Sanctus Pater diu apud illam mansit.

Solabatur ipsam etiam in afflictionibus provenientes à diabolo, qui interdum volebat simulare Sanctos, sēq. illi spectandum exhibebat, quando cum ijs loquebatur. Cū quādam vice dedisset cuiquam spiritali personæ certum consilium de obedientia, quod illa ab ea petiverat, dixit ipsi Sanctus Noster Pater Ignatius: Bene apparet, te esse filiam Societatis; optimè dixisti illi personæ. (Quod quidem ei idcirco dixerit, quia semper magni fecit, voluitque magni fieri ab ijs, qui degunt in societate, istam praeclarissimam virtutem.) Ac dum hoc illi diceret, diabolus se continuè ante ipsam collocabat, instar nebulae, ne illum posset videre, vel alloqui, & protulit subito unam ex solitis blasphemis, quā eam notabiliter afflixit ac molestantius, dixitque illi: Quid habes, ne te affligas, quiesce, quia ego sum tecum. Ex quibus verbis capit solatium, & videns diabolum adhuc adesse in specie Æthiopsis ac Sartyri, capite referto cornibus, totūque repletum albis & nigris maculis, rogavit gloriosum Sanctum, ne discederet, seque relinqueret solam; qui ipsi adsuit, usque ad abitum diaboli, ac reliquit illam plenam solatio, & quietam.

Similiter illi subveniebat solatij gratia in turbationibus, quas pati solebat, occasione sui Confessarij, propter nonnulla verba, quae ipsi ab eo dicebantur, & quibus illa, ut

poterit timida, affligebatur. Quādam vice, ait, vidi illum sedentem quasi in sella, & tres, vel quatuor fratres post illum stantes, discoopertis capiribus, cum magna humilitate. Conspēcto autem ipso, tui gavisus, & dixi illi: Bene veneris, sancte Pater; quia te multis diebus nec vidi, neque sum alloquuta. Sanctus respondit, quāam amatissimè: Jam ecce me vides adesse, dic, age, quid velis, & refer mihi, quis tuarum rerum sit status. Tunc illi incepti narrare, meas miserias, & quomodo subinde turbarer ijs, quae mihi dicit meus Confessarius, caperemque inde occasionem nimij timoris. Sanctus Pater mihi dedit quaedam in eam rem monita, pro meo solatio. Alias verò in alia tanta turbatione, ut existimarem eam à me non posse tolerari, mihi dixit: Nè te affligas, quia ego te visitabo & consolabor, accede ad me. Et quia saepe, pro solatio turbatorum, juvat divertere sermonem ad alia, itā fecit gloriosus sanctus, dum me distraheret, narrando mihi quaedam de Patribus Societatis, quos ego noveram, & respondendo ad omnia, quae ex ipso quærebam: cūque ipsum interrogarem de nescio quali scrupulo, quo angebar illis diebus, dixit mihi: Plus habebis quietis & solatij, magisq. tibi satisfiet, si id contuleris cum Patribus Confessarijs, viventibus in mundo; illos enim itā intelliges, ut suo modo, tibi integrè satisfiat; Nam Cœlites se nolunt immiscere rebus, concernentibus Confessionem, quae pertinet ad Sacerdotes, degentes in terra. Hæc visitatio & communicatio diu duravit, cūque modicum evagata fuisset meaphantasia, & ego me idcirco reprehenderem, dixit mihi Sanctus Pater Noster Ignatius: Noli id mirari, quia dum vivitur in hac mortali carne, non potest aliquid tale evitari; & postquam iterum fuisset prosequutus suum sermonem, ultra unius horæ spatium, quo duravit communicatio, nunquam amplius fui distracta, nec recordabar ullius alterius rei, suspensa & absorpta, dum audirem, quod mihi à Sancto dicebatur. Eo tempore mihi comparuit Christus Dominus, dixitque mihi: esne modo contenta? Ego eo viso, accensa ipsius amore,

more, illum sequebar, sed Dominus mihi dixit: Mane, mane; & discessit, relinquens me cum Sancto Patre, eò quòd ipsius communicatio mihi fuerit proficua, attuleritque solatium.

Aliàs postquam longo tempore apud me fuisset, consolando me, atturrexi, & provoluta in genua, osculata sum ejus vestem supra brachium, ac denuò confedi ad ipsius pedes, sicut federam priùs, cùmque ità federem, ingressa est quædam mea soror vocatura me, ut iremus ad templum: & quamvis illi responderim, me jam jam ire, non poteram me adigere, ut abirem à Sancto Patre, permolestum namque mihi erat, ipsum deserere: sed sanctus id agnoscens, quàm amantissimè mihi dixit: Vade & abi, quia me propterea non perdes, nè id ægrè feras. Tunc surrexi, & digressa sum ab ipso, atque exivi ex cubiculo, ut comitarer meam sororem: quamvis autem iverim, atque pervenerim usque ad plateam, cor meum remanebat apud gloriosum Sanctum, quem sciebam manere in cubiculo, quod mihi fuit admodum grave, & quia mihi videbatur magna inurbanitas, quòd non satis decenter ab illo abivissem, constitui repetere meum cubiculum, ut ipsi valedicerem, & inveni illum ibi, eoque viso, me demisi ad ejus pedes, ac dixi illi; ut mihi ignosceret, quod ipsum deferuissem, accidisse id enim prorsus contra meam voluntatem. Neque poteram ab illo divelli. at Sanctus advertens me taliter esse constitutam, expectavit, ut inclinarem caput: & quando post modicam distractionem illum denuò volui aspicere, non vidi ipsum amplius; & remansi aliquamdiu quasi abrepta, ac deinde me contuli ad templum. Deinde mihi significavit, se tanti facere Obedientiam, ut ideo, quòd exequuta fuerim voluntatem meæ sororis, neglexerimque implere meam, remanserit in cubiculo. Hoc tempore visitabar a deò ordinariè à sancto Patre, prope quotidie, vel plerisque diebus, ut mihi magna visitationum frequentia adderet animum ac audaciam, aspiciendi illum attentius, quàm alios Sanctos; etsi id semper facerem, more meo, timidè. Intuita sum

ipsum quadam vice, & vidi tam clarè ejus oculos, quàm illos videre possim oculis corporeis: quòd si illum interdum propter modum sedendi, vel situm non pottem bene videre, dicebam id ipsi, quia perfundebar ingenti solatio, quando videbam tantam gravitatem & modestiam, ac mansuetudinem, & reliquas admirabiles virtutes, quæ in eò resplendebant. Atque hac ratione mihi tantopere impressum reliquit suum vultum, ut inter multas sancti imagines, quæ fuerant pictæ, dum hic moraretur Aula, plurimum fuerim uni earum addicta, eò quòd mihi videretur esse illi admodum similis; quod ipsum affirmavit gravis & senex persona in Aula, quæ illum noverat, & cum eo egerat in vita. Atque aliquando, cùm me Sanctus visitavisset, volui illum aspicere accuratius, ut melius viderem, an illa imago ipsum referret, tantumque intuebar ejus vultum, & statim demittebam oculos; Sanctus autem, qui cognovit meas cogitationes, & quem ob finem cuperem ipsum contemplari, deposuit pileum quadratum, quo habebat coopertum caput, dixitque mihi: Aspice me bene, an me mea imago repræsentet? Quæ facultate habitâ id feci, & animadverti, ipsam esse quoad oculos, illi aliquantum similem.

§. IV.

*Adducit illi quatuor Angelos,
qui ipsi assistant.*

DEnique singularis ille favor quatuor Angelorum, qui illi semper assistebant, habuit originem ab intercessione Nostri Sancti Patris Ignatii: Qui dum me visitaret, inquit, quadam vice, uti consueverat, ægrotante meo Confessario, mihi dixit: Expecta modicum, & videbis, quid tibi adducam, quod te magno afficiet solatio, ac plurimum exhilarabit. Et postquam mihi recensuisset amantissimè quædam de cælo, dum ego expectarem, ut viderem, quid adduceret, vidi venientes quatuor parvulos puellulos, comptissimos, & mirum in modum gratiosos, indutos nitidis vestibus, quas singuli gerebant diversi coloris:

loris: unus vestem habebat coloris carulei, cuius aspectu recreabatur anima; alter coloris viridis, qui adferebat ingens solatium; alius puniceus pretiosissimi; & alius violacei pulcherrimi. Fui adeo attonita, ut non possem ab illis avertere oculos, cogitans, utrum forte non essent aliquæ animæ parvulorum, quos assumpserit ad se DEUS in tenera eorum ætate. Tunc mihi dixit Noster Sanctus Pater

Ignatius: Non sunt; sed sancti Angeli, quos ego nunc primum à DEO tibi dari petivi, ut te custodiant; ac adjuvent, eò quòd modò careas Patre spirituali. Hoc audito fui repleta solatio; egique magnas gratias DEO, nostròque Patri, propter illam tantam gratiam, quæ mihi præstabatur. *Et forte ex eo tempore perdidit constantiam assistentia, quæ illi semper aderant prædicti quatuor Angeli.*

CAPUT XIX.

Quomodo ex DEI instructione magni fecerit Obsequentiam, petiveritque à Nostro Sancto Patre Ignatio facultatem, se obstringendi voto Obsequentiæ præstandæ Confessario Societatis, quidque ipsi quoad hoc evenit.

Venerabilis Marina de Escobar magni fecit Obsequentiam, quam exhibebat Confessarijs, à quibus regebatur, nec attentabat quidpiam agere contra illorum iudicium, sed neque, quòd à DEO jubebatur, facere vel dicere, audebat exequi, absque prævio Confessarij consensu: intelligebat enim hanc esse voluntatem DEI, ex cuius communicatione scivit, quòd, si existimaret à Christo Domino sibi dictum esse, ut adiret sacram Communionem, Confessarius autem diceret contrarium, sequendum sibi esset iudicium Confessarij. Et quidam Sanctus hanc ipsi ejus rei reddidit rationem: quòd prius subsit periculo illusionis, si ne Christus, qui id jubet? non autem posterius.

§. I.

Hoc, inquit ipsa, mihi declaravit Dominus, cum illum interrogarem: Mi Domine, ego persevero in eo proposito ac decreto, quòd Tua Majestas meæ indidit animæ, & est, quòd tanti faciam obsequentiam, quam me iussisti exhibere illi, quem mihi dedisti Magistrum ac Ducem, qui me doceat ac ducat per viam tuæ voluntatis, ut etiam si tuo illustrata lumine noverim absque ullo dubio quædam esse

tuæ conformia voluntati, propterea que illa facerem, possemque peragere cum magno solatio; nihilominus, si meus Confessarius mihi præciperet contrarium, subicerem meum intellectum & voluntatem ipsius iudicio ac voluntati; quia existimo, me tibi magis ita placituram, & sic me esse à te instructam: quæ est tua hac super sententia, mi Domine? Respondit mihi Divina Majestas: Mea sententia est, te optime procedere, neque mihi id displicet, quòd dicis: quando enim subjeceris tuum intellectum ac voluntatem illi, cui teneris obedire, & qui te debet docere, tibi præcipere, non habebit locum diabolus, ut te possit decipere falsitatibus, erisque hoc modo securior. Equum præterea est, ut hæc obsequentia exhibeatur ideo, quòd ego in mea Ecclesia reliquerim hunc ordinem, & hoc remedium ac solatium pro omnibus fidelibus, quo habeant Magistros ejusdem secum naturalis ac visibilis naturæ, ut possitis ipsos intelligere, ac vicissim intelligi ab illis: qui Magistri, si sequantur directionem Scripturæ sacræ, non errabunt; ac proinde quilibet potest esse securus, & acquiescere ipsorum iudicio in suis dubijs. Officium autem eiusmodi Magistrorum est, bene dispicere & expendere statum illorum, quos instruunt, quidque à me habeant & acceperint, atque hoc spectato ipsos diri-

dirigere: illos verò, quos intelligunt à me regi ac doceri, permittere, ut sequantur meam instructionem ac directionem. Post multos deinde annos, cum graviter aegrotarem, dixi Domino, reticendane mihi essent, & non aperiendae Confessario res extraordinariae, quae mihi eveniebant, nè me fatigarem, & occuparem Confessariù, quandoquidem nihil haberent ambigui. Respondit mihi Dominus, id non fore bonum, ob quatuor causas. Prima est, quia sicut aurum purificatur in catino, & gemmarum valor cognoscitur, si probentur affricu, ita anima purificatur, exhibetque suum valorem, quando illam probat Minister DEI. Secunda, quia expedit ad vitandos errores, ut omnia eo ordine regantur, quem Divina Majestas designavit in sua Ecclesia, & in sua sacra Scriptura, ac Sanctis. Tertia, ut non occultentur, sed manifestentur ejus Ecclesiae gratiae, quas Divina Majestas praestat suis servis, & animabus puris, ut sic animentur fideles ad serviendum suo DEO, & ipse glorificetur in illis. Quarta, propter fructum & instructionem, quam ex ista communicatione capit pius, Sanctus, ac devotus Confessarius, nec non solatium spirituale & gaudium, quod anima cupiens se conformare voluntati sui DEI, indè potest habere.

§. II.

IN confirmationem hujus veritatis, cum meus Confessarius incidisset in morbum, mihi que praecipisset, ut illi, cui interea confitebatur, non omnia dicerem, quae mihi eveniebant, sed aliqua solum, faceremque id prudenter, fui conquesta Domino, quod non haberem, quo cum res meas conferrem; & respondit mihi Divina Majestas: Jam habes, qui supplet absentiam tui Confessarii, dic illi omnia, quae tibi contingunt. Respondi verò statim: Non, Domine, hoc non, Domine. Quare verò? dixit Dominus: quia, aiebam ego, Confessarius mihi mandavit, ut illi non dicerem omnia, & debeo ipsi obedire. Tum subjecit Divina Majestas: Placuit mihi hoc responsum, quod ut à te audirem, dixi ti-

bi id quod audivisti: Ità fac: potes tamen bene illi quaedam referre, quemadmodum tibi ab eo dictum est.

Alià vice, cum ferventer orarem pro praecipua quadam persona, quae se commendaverat meis precibus, vidi venientes Sanctos duos Angelos, magnae majestatis, quibus demandata erat cura unius ex Regijs Consiliarijs Aulæ, quae tunc morabatur Vallisoleti, qui mihi dixerunt, cedere ad gloriam DEI, & esse ex bono ejus Consilij, ut illi personae, pro qua orabam, conferretur ibi certum Officium, eò quod pro illo praeclaris esset praedita dotibus, utque id ipsum proponerem, atque ita collaborarem, quò mandaretur executioni. Retuli hoc prius meo Confessario, qui judicavit, non expedire, ut aperiatur aditus ad procuranda similia officia per revelationes, propter multas causas, quas, nè id fieret, habebat efficacissimas. Sancti Angeli institerunt denuò, certam me reddentes, non sequutura ea inconvenientia, quae timebat Confessarius, qui nihilominus mihi dixit: se juxta regulas Christianas non posse assentiri, nisi DEUS declararet id sibi placere, eò quod diversae consueverint esse Angelorum Custodum sententiae.

§. III.

ANimata hac Domini instructione, magno tenebatur desiderio nuncupandi votum obedientiae praestanda suo Confessario, qui tamen illi ea in re contradixit: siquidem Confessarij Societatis expressum habent regulam, quae jubentur non admittere ejusmodi vota eorum, quibus peccata confitentibus praebent aures, praesertim seminarum, tum ob multas alias rationes, tum ut evitentur incommoda, quae ista minimè necessaria subiectio posset adferre personis ignavis, ac habentibus timidam conscientiam; ipsa tamen non destitit à suo desiderio, imò perseveravit ultimè unum annum in petenda facultate à suo Confessario, emittendi sui voti, & rogando DEO, ut sibi id concederetur, quandoquidem hoc vellet facere, ad abnegandam suam propriam voluntatem, ac ad magis illi placendum, atque exhibendum aliquod hac in-

N

re obsequium. Cùm his desiderijs aliquando inter orandum elevavi, ait, oculos animæ, & vidi adesse Nostrum Sanctum Patrem Ignatium, sicut alias eram solita, qui mihi dixit, quasi ad me probandam: Quid tibi videtur de eo, quod petis? Itane vis, ut mei faciant, quod illis prohibui in mea regula? quomodo à tuo Confessario petis tibi permitti, ac dari facultatem, ut emitas votum ipsi obediendi? Ego propterea fui vehementer confusa, & respondi illi: Verè ego sancte Pater, nolo à meo Confessario fieri, quod tu ipsi prohibuisti, & reliquis Religiosis Societatis: sed quod vellem, est, si peragi potest annuentibus Superioribus, sine violatione Regulæ, ut, cum ego sim quodammodo filia Societatis, quamvis indigna, cùmque ipsa me educaverit suâ doctrinâ, & instructione, mihi præstaretur ista charitas, & hoc beneficium, quo admitterer ad ejus obedientiam. Tum mihi dixit Noster Sanctus Pater Ignatius: Unde, nec enim es ita domestica, sicut tibi esse videris; statimque disparuit, & ego magis mansi confusa, eò quod nescirem, dixissetne id ad me mortificandam, an ob alium finem: eram namque mihi conscia, quòd amarem Societatem, sicut me ipsam, optaremque illi idem bonum, quod mihi. Cùm autem hærerem dubitans, quid mihi esset agendum, confugi ad DEUM, dicendo illi: Mi Domine, vultne Tua Majestas, ut me obstringam hoc voto? Responditque mihi Divina Majestas, ut convenirem Ignatium, & rem istam cum ipso transfigerem, esse enim ipsius negocium. Quo responso aliquantum fui afflicta, quòd recorderer, me non fuisse à Sancto Patre Nostro Ignatio exauditam.

Advenit festum Sancti Bonaventuræ, cui sum plurimum addicta, atque ab eodè visitata, postquam cum eo de alijs rebus egissem, aperui illi hoc desiderium, quo tenebar, rogans ipsum humiliter, ut mihi gratificaretur, petendo à Sancto Patre, Ignatio facultatem, quâ ab eo habitâ emitterem illud votum. Sanctus Doctor mihi dixit, se id facturum, statimque ipsum vidi in spiritu loquentem in cælo cum Nostro

glorioso Patre, & allegantem illi quasdam rationes, propter quas non violaretur Regula, tametsi mihi concederetur licentia, quam petebam à glorioso Patre. Summè ipsi placebant illæ rationes, sed significabat id à se procrastinari, etiam ob aliam causam, quæ concerneret meum profectum, ut discerem esse patiens, evaderemque robustior.

Ego verò addo, causam, propter quam ipsi illa gratia à Sancto Patre negabatur, forte fuisse, quia habebat perspectam naturam istius famula DEI, que de se erat timida & scrupulosa, ac facile qualibet re turbabatur, quam illi Confessarius dicebat, de pertinentibus ad animam, adeò ut contremisceret, si qua in re DEO displiceret. Atque illis ipsis diebus inceperat præter morem turbari, agendo cum suo Confessario, & semper cum ipsius alloquio recedebat turbatior, plena imaginationibus ac scrupulis, qua illam excruciant, et si ignoraret, unde talis anxietas oriretur: que sanè non erat idonea dispositio, ut se ejusmodi voto obstringeret. Tandem post istam tempestatem, cum facultate & benedictione Nostri Sancti Patris Ignatij emisit suum votum, non perpetuum, sed ad vitam presentis Confessarij, atque designat à materia obligationis, qua erat solius paupertatis, in qua nonangebatur scrupulis. Promittit, inquit, obedire meo Confessario, qui nunc est Pater Petrus de Leon; me nolle habere domum, nec vineam, neque censum, aut ullum bonum, quod vocant stabile, ex mea solummodo voluntate, ac judicio, sed ex voluntate ac judicio dicti Patris. Præterea me obligo, nè possim de dicto bono stabili, quod mihi DEUS dedit, vel daturus est, disponere, aut illo me expoliare absque ipsius voluntate & judicio: quòdque nolim inhabitare ullam domum, neque convivere cuicumque ex meo tantum beneplacito, sed ex beneplacito ejusdem Patris Petri de Leon. Hoc votum, Patre pro eo tempore Provinciali permittente, dictus Pater acceptavit: quo tamen vivo sancto, ego, qui ei successi, non consensi, ut illud renovaret, neque ut ageret de emissendis votis, propter supra dictas causas.

CAPUT XX.

Quomodo illam sibi Christus Dominus desponsaverit, dando illi pretiosissima cimelia, & postea compleverit desponsationem annulo admodum mystico, coram Sanctissima Virgine, & Sancto Josepho, ac multis Angelis: nec non de admirandis rebus, quæ tunc evenerunt.

§. I.

Hinter insignes gratias, quas DEUS confert animabus, dum justificantur, una est præstantissima, quod ipsas assumat in suas Sponsas, desponsando illas (quemadmodum ajunt Propheta) sibi per suam misericordiam, unione charitatis ac amoris. Et quamvis hoc præstet spiritualiter ac invisibiliter omnibus illis, quæ fruuntur ipsius gratiâ & amicitia; tamen quibusdam magis electis, & quæ magis profecerunt in sanctitate, ita id ipsum concedit, ut ab ijs lumine cælesti illustratis, agnoscatur modo admirabili & arcano, qui repleat cor delicijs, permovetque ad agendas infinitas gratias bonitati & charitati DEI, quod talia agat cum suis creaturis: cui quidem placuit demonstrare manifestius immensitatem suæ bonitatis in ijs, quæ fecit Marina de Escobar, ut patebit ex eo, quod sequitur, & contigit anno 1598. cum numeraret quadraginta quatuor annos suæ ætatis.

Dum, inquit, aliquando manè orarem, amando DEUM omnibus meis viribus, vidi oculis animæ adesse sanctos quosdam speciosissimos Angelos, qui veluti negotiosi colligebant & componebant multa cimelia pretiosissima. Angelus autem meus Custos, majorem præferens sollicitudinè & lætitiâ colligebat, & accipiebat ab alijs sanctis Angelis, quæ ipsi collegerant. Ego obstupecebam aspiciendo hæc omnia, neque intelligendo, qualia essent illa cimelia, vel quem in finem colligerentur. Tum mihi dixerunt Angeli, ea colligi pro die desponsationis meæ animæ. Extimui, & mirata sum, quod audiveram, de eoque cogitans transégi biduum, quo elapso, manè mihi in mea collectione dixit Dominus:

Hodie est dies, quo mihi desponsabo tuam animam, quæ desponsatio nunc perageatur, quando ad me venies, meque fumes in Venerabili Sacramento: atque ab hodierno die, quo tua anima à me susceperit istâ gratiam, & favorem, diabolus te non audebit, sicut erat solitus, vexare in spiritu, quod fecit præteritis diebus. Audivi, quod mihi à Divina Majestate dicebatur, plena stupore, ignorans, quid illi responderem, & statim me contuli ad templû, ubi, postquam me aliquamdiu more consueto collegissem, ivi ad sumendum Christum Dominum, atque cum procubuissem in genua super gradus altaris, venit Sanctus meus Angelus Custos, cum alijs sanctis Angelis, valde hilaris, & adstantibus nonnullis sanctis Cœlitibus, iniecit in meum colulum omnia illa elegantia ac pretiosa monilia, quæ antea me vidente collegerat, & acceperat ab alijs Angelis. Dum autem essem ita exornata, venit Christus JESUS Dominus noster in Sacra Hostia, cumque ipsum suscipere ex manu Sacerdotis, mea anima sensit, quandam Divinam ac insolitam unionem, cum suo dulcissimo Sponso & Domino, adeo ut mihi visa fuerim ab illo immutata, penitusque transformata ex ea hora, ac idcirco non agnoscerem me ipsam, id quod sæpe dicebam meo Confessario. Retinui illas pretiosas gemmas & monilia toto eo die, cum magno meæ animæ solatio; deinde verò mihi fuerunt ablata, & observata, me non vidente, neque advertente aliud, quàm quod ea possideret meus sanctus Angelus Custos: illa tamen mirabilis mutatio semper perseveravit, quia per hanc spiritualem, Divinam & mysticam desponsationem, obtinui quadantenus verecundum quoddam & humile dominium, ad eum modum, quo posset

evadere in Dominam quæpiam famina-
vilis conditionis, quæ nupsisset magno
Principi vel Regi. Hæc si esset mulier pru-
dens, agnosceret animo demississimo ma-
gnam gratiam, sibi ab illo Rege præstitam:
alioquin tamen unâ necessario, & magno
cum solatio potiretur dominio, quod ipsi
ideo, quia illam sibi desponsavisset tantus
Dominus, fuisset collatum. Unde ex eo
tempore deinceps mirum erat, quod me
ingenti perfundebam rubore, & pudefaci-
ebat videre sanctos Angelos, quando me
dignabantur invisere, jubente Domino,
mihi que assistebant alicujus obsequij cau-
sâ, sibi ab illo injuncti, quomodo mihi assi-
sterent & gratificarentur: quia id præsta-
bant cum magna sollicitudine, & quadam
quali reverentia, ut me ipsam puderet, &
magnopere verecundarer; videbantur e-
nim non coram vili ac tam abjecta & mise-
rabili versari creatura, quam sum ego, sed
qualiter se gerere possent coram quapiam
aliâ, quæ aliquâ posset ratione mereri no-
men Domine ac Sponsæ JESU Christi.

Consequuta sum similiter ex hac tanta
gratia, magnam animæ libertatem, ut non
metuerem diabolum, ac molestiam, quâ
me in spiritu solitus erat afficere. Nam etsi
me semper fuerit persequutus, non tamen
illis timoribus, ac terculamentis spiritus,
uti consueverat; imò videbatur ab eo tem-
pore diabolus me timere, ac revereri: un-
de intellexi promissum Domini, quo mihi
id fuerat pollicitus. Obtinui præterea
quandam humilem securitatem, ut nihil
meticulosè reformidarem; sed videretur
mihi Dilectus meus Sponsus ac Dominus,
sicut potest, itâ facturum omnia, ad eum
modum, quo magis expedirent, cederent-
que ad majorem ipsius gloriam & obse-
quium. *Hactenus sunt verba istius Famu-
le DEI, ex quibus dignoscuntur boni effe-
ctus hujus singularis Divinæ visitationis, qui
certa præbent indicia, eam esse veram. Quia
gratia DEI non sunt vacuæ, neque vane,
sed plena veritate, ac majestate, quas requi-
rebat nomen Sponse, tam speciali modo ele-
ctæ, & representabant meo iudicio illa preti-
osa monilia, quæ ipsius collo fuerunt imposita.
Atque itâ, inquit illa, post paucos deinde*

dies mihi versanti in mea collectione, dixit
Dominus: Manè te conferes ad Beatissi-
mam Virginem Antiquam (est una ex Pa-
rochijs Vallisoleti, vicina domui, quam in-
habitabat) ubi tibi exhibebo insignem fa-
vorem & gratiam, quæ cedet ad tuum ma-
gnum solatium & commodum, quia ibi-
dem per me, ac meam Matrem præsentan-
beris, & offereris æterno Patri. Hoc au-
dito, fui summè exhilarata, atque exarsit
amore Divinæ Majestatis, & quasi non ad-
verterem quid dicerem, sæpe iterabam:
unde mihi hoc? postridie deinde manè
mota à Domino, & prorsus immemor,
quid contigisset, quòdque mihi fuisset di-
ctum, ut me conferrem ad Antiquam, ad-
ivi illam: ubi post exactum aliquod tem-
pus in oratione, accessi ad sumendū Chri-
stum Dominum, & cum flexissem genua
in gradibus altaris, vidi Christum Domi-
num, ipsiusque sanctissimam Matrem, sti-
patam Angelis, quæ Domina attollens ad
cælum oculos, & alloquens æternum Pa-
trem, protulit hæc verba, aut his similia,
ejusdem sensus: Pater æterne, ac Domine
noster, offero tibi nunc denuò hanc famu-
lam & creaturam tuam, oroque te suppli-
citer, ut illam abhinc de novo suscipias ad
tuum obsequium, ipsamque posthac respi-
cias, & protegas, ac defendas ab ejus hosti-
bus specialissimâ curâ, & auxilio tuæ gra-
tiæ. Hanc oblationem Pater æternus sus-
cepit quàm promptissimè, ac deinde dis-
cessit Beatissima Virgo, valedicendo mihi
peramanter, relicto mihi propter eum fa-
vorem & misericordiam solatio.

§ II.

A Nno 1611. in ætate quinquaginta se-
ptem annorū, aliquot post annos, quan-
do jam egrotabat, ac penè semper affixa erat
lecto, voluit Dominus perficere istam despon-
sationem, & celebrare quodammodo nuptias
spirituales cum virgine & admirabili magnifi-
centia, id quòd referam ipsiusmet verbis non-
nihil contractis. Quodam die, ait, Stig-
matum gloriosi Sancti Francisci, aliquid
intellexi ex communicatione quatuor
sanctorum Angelorum, qui semper mecum
morantur.

miorantur, quòd mihi Dominus magnam quandam gratiam, & extraordinariam misericordiam esset præstiturus: dicebant enim mihi: Eja, soror, dispone tuum animum, & præpara te pro eo, quod Dominus decerneret, ac volet de te facere. Et ecce eundem tibi est nobiscum ad locum, quò à Domino iussi sumus te ducere. Ego dixi: Ecce ancilla Domini, compleatur in me ipsius amabilissima voluntas. Hoc dicto, mea anima est raptà in ecstasim, in qua sum ducta ab illis quatuor sanctis Angelis, valde procul, ut mihi videbatur, à loco in quo fueram. Postquam pervenissemus ad locum à DEO decretum, Angeli me constituerunt in eleganti & pulcherrimo templo, cujus laqueare erat ex auro purissimo, parietes & pavementum pretiosissimum, & jucundum oculis animæ, atque in quodam quasi sacello primario erat altare, & in eo sedes adeò mirabilis, ut nunquam potuerim intelligere, qualis fuerit, quidve in illa viderim. E regione istius altaris erant tres sedes perquam conspicuæ, in prima & tertia sedebant duæ personæ gravissimæ, quidam vir valde venerabilis, & quædam Regina ac Domina magnæ Majestatis, quæ cum primùm ego ingressa essem per portam templi, surrexerunt ex suis sedibus, iveruntque mihi obviam, atque dum se inciperent movere, resonuit in toto templo musica vocum, & instrumentorum, tam stupenda, suavitas ac Divina, ut illam nulla lingua verbis possit exprimere. Ego timens, & quasi turbata, propter tantam magnificentiam, quam videbam, me intermisceram, & adhaerebam sanctis Angelis, à quibus ducebar. Cùm autem sursum per illos aspicerem, & lustrarem circumquaque templum, vidi innumerabiles Angelos pulcherrimos, qui canebant ac tractabant instrumenta, edebantque illam Divinam musicam, de qua sum loquuta. Idem quatuor Angeli subito apprehenderunt mea brachia, duxeruntque me ad eos duos Dominos, qui, ut dixi, mihi occurrebant, & cùm essent propè ipsos, prostraverunt se coram illis; ego quoque turbata ac attonita, eò quòd viderem tantam majestatem, me prostravi. Il-

N 3

la verò Regina, ac Domina, me statim in brachijs apprehensam erexit quàm amantissimè. Tunc sustuli oculos, ut viderem, quænam esset ea Domina tantæ Majestatis, & à qua tantam gratiam acceperam, quia illam hæcenus non agnoveram; & agnovi esse Sacratissimam Virginem Dominam nostram, quam sum reverita cum summo amore & solatio meæ animæ: intuita deinde illum Venerabilem ac Sanctum Virum, qui cum ea Regina veniebat, animadverti illuminata à DEO, esse gloriosum Sanctum Josephum, Sponsum illius Sacratissimæ Dominae. Duxerunt me eò, ubi erant positæ tres sedes, & antequam ipsi confiderent, intulerunt mihi quandam quasi vim amabilem, ut me collocarent in secunda sede: quod ego humi prostrata vehementer detrectabam, neque volebam admittere, dicendo, me non esse dignam, & esse me ancillam Domini; donec venirent sancti mei Angeli Custodes, unaque cum Beatissima Virgine ac Sancto Josepho mihi persuaderent ac mandarent, ut præberem assensum ei honori, qui mihi exhibebatur, volente ita & jubente DEO, cui me oportuit obtemperare. Postquam confedissem in illa sede, cooperuerunt me velo splendidissimo, coloris cærulei & aurei, quod pertingebat usque ad pedes. Cùm ita essem ornata, semperque duraret illa cœlestis musica, aspexi altare, & sedem ac thronum admirabilem, de quo dixi, me nescire qualis fuisset, & quid in illo vidissem, ac vidi ex eo descendentem & venientem ad me Christum Dominum, cum magno comitatu Angelorum, ac Beatorum Spirituum, atque idcirco turbata & obstupefacta converti modicè oculos, ut aspicerem Sanctissimam Virginem, ac deinde Sanctum Josephum, & vidi surgentes ex suis sedibus, positisque humi genibus adorantes Dominum illum Majestatis: idem & ego procumbens cum speciali agnitione meæ vilitatis, feci. Dominus accessit ad me, cùm ita essem provoluta, adeòque turbata, ut vix viderem, vel adverterem, quid ageretur: & Beatissima Virgo me modicum elevavit, arrepto meo brachio sinistro, extenditque meam manum; Domi-

nus

nus autem Majestatis inseruit digito meo minimo anulum pretiosissimum, & in eodem momento abripuit meam animam in magnam ecstasim, adeo ut cum incumberem genibus, & corpore essem nonnihil inclinato, caput mihi deciderit ad genu illius magni Domini, qui statim, apponens suo ori sanctissimum suum digitum, sublati oculis, dixit quædam verba latina, ex quibus ego hoc intellexi, quod præceperit omnibus creaturis, ut essent quietæ ac attentæ, nec me expergefacerent, neve suscitarent meam animam ex illo somno mystico. In hoc raptu intellexi tam sublimia mysteria de attributis & perfectionibus, ac essentia DEI, deque mysterijs vitæ, ac Passionis Christi JESU Domini Nostri, ut non reperiatur lingua, à qua possint ullâ ratione explicari, eo quod excedant omnè nostrum captum. Taliter mansi constituta aliquo tempore, quod quantum fuerit, ignoro; solùm scio dicere, totum hoc mysterium duravisse sex, vel septem horis. Postquam autem redijsem ad me ex hoc raptu, summè ardebat mea anima amore istius Domini, & habebam singularem cognitionem de bonitate ipsius ac amplitudine, atque incomprehensibilibus judicijs, nec non de mea maxima vilitate, & exiguitate, ideòque iteratò ac sæpe dicebam intrâ animam meam: *Quis es tu Domine, & quis sum ego?* quis es tu Domine Majestatis, potens ac admirabilis in operibus tuis, & altissimis judicijs, sapiens ac infinitè bonus, & quæ sum ego pauperrima, debilis & indigna ancilla tua? quod nomen ancillæ ita mansit infixum meo cordi, eo quod mihi Dominus exhibuisset hunc tam magnum & singularem honorem, ut præ mera verecundia ac pudore, non potuerim ex meo corde evellere hæc verba: *Ancilla sum Domini.*

Finito raptu, Dominus Majestatis surrexit ex regio throno, in quo ante me sederat, & obvertens dorsum dicto altari, mihi que impertiens suam sanctissimam benedictionem, dicendo ad me: Soror, & Amica, vale; posita suâ sacratissimâ manu dextrâ super humerum meum sinistrum, quemadmodum etiam fecerat, prius-

quàm meo digito infereret illum anulum mysticum, redijt cum magna majestate & comitatu Beatorum Spirituum ad locum ac thronum, unde descenderat, quando venit ad peragendum hoc opus: & ego, quamvis ab initio, quando mihi sancti Angeli dixerunt, præstandam mihi à Domino magnam misericordiam, vehementer restiterim, nihilque non egerim pro ea amolienda, modò videns abeuntem ac discedentem hunc Dominum, dicebam illi cum ingenti afflictione ac dolore: Quò abis Domine Majestatis, & Bonum meum infinitum? nè me derelinquas, nec me deras in hoc exilio; revertere ad me. Dum hoc Dominus audiret, videretque afflictionem meam animæ, vertens se modicum ad me, intuensque suis sacratissimis oculis, dixit mihi: Non abeo, nec discedo à te, Amica: tecum enim sum, ac maneo. Ex quibus verbis mea anima cepit non nihil solatij; statim autem quidam sancti Angeli occupaverunt locum, qui inter me & Dominum intercedebat, neque tunc amplius conspexi Divinam Majestatem. Deinde Sanctissima Virgo & Sanctus Joseph me crexerunt è loco, in quo eram prostrata, & Sanctissima Virgo me est amplexata, ostendens, se singulariter gaudere, propter illam misericordiam, & gratiam, quam mihi Dominus præstiterat, & congratulans mihi unâ cum suo cœlesti Sponso Sancto Josepho, meisque sanctis Angelis, dixit mihi: Eja, Amica, tempus est, ut abeamus, & reducamus te domum: ego & Sanctus Josephus, ac sancti Angeli, qui adsunt, te debemus ducere, & comitari. Exoscullata sum eorum pedes, propter gratiam, quâ me dignabantur, & fui subito occupata à quodam somno & ecstasi; quando verò ad me redij, inveni ac adverti me esse in meo angulo ac lecto, adesseque mihi Sanctissimam Virginem, ac Sanctum Josephum, & sanctos Angelos. Tum discessit à me Sanctissima Virgo, & Sanctus Josephus, ac abiverunt cum comitatu multorum sanctorum Angelorum, ego autem in meo loco vehementer stupebam, meque humiliabam, agens cum DEO de hac misericordia, quam mihi denuò exhibuerat, dice-

dicebámque illi: quomodo & quare id ita fecisset, cum ego sim ipsius ancilla, ac usq; indigna tali gratiá: & quòd jam sciret Divina Majestas, se aliás mihi aliá occasione præstitisse aliam huic similem gratiam. Et Dominus respondit: Primum, quod ais, bene subsistit: ad secundum autè respondeo; gratiam, tibi tunc à me collatam fuisse diversam ab ista, quam tibi modò confero. Quia prior fuit quasi dispositio, & præparatio pro hac, quam tibi nunc præstiti. Dum ità loquerer cum Domino, verti oculos animæ ex Divina ipsius inspiratione, ac vidi quàm clarissimè ac singularissimè ab ipso illuminata, in meo digito illum mysticum annulum, quem ei Divina Majestas inseruerat, quia ipsum hæcenus specialiter non videram. Erat combinatus ex particulis purissimi auri, quibus interferebantur aliæ coloris crystallini, & in his erant mysticè expressa præcipua mysteria Passionis Christi JESU Domini Nostri, cum mysterio Sanctissimæ ipsius Incarnationis, omnia verò sculpta cœlesti vivacitate, ut illuminarent animam, ac deducerent in eorum cognitionem, atque ad specialem erga illa excitarent affectum. Visio istius annuli in ea forma, duravit multis diebus, fuitque per frequens, ac tam clara, ut quodãmodo erubescerem, quòd potita essem tantá gratiá; adeoque metuerem, nè illum viderem oculis corporeis (quia nollem, si id DEO placeret, similes visiones, eò quòd non sint admodum securæ) ut propterea habuerim aliquot diebus manum coopertam strophio. Hic mysticus annulus quasi penetrabat & ingrediebatur intrà digitum intortus, ac infixus, palmam versus, magis tamen eminebat in superiore digiti parte. Videbam illum

multis diebus propè semper, deinde non nisi interdum, per intervalla.

§. III.

Hoc est arcanum opus, quod Divina Majestas in sua famula peregit, dignum admiratione. Quis non miretur illud iter ad tam remotum locum, quo significabatur, quàm esset remota à mundo? elegantissimum illud templum & altare, ubi celebranda erant ista nuptia, resonante tam Divinâ musicâ commestibus adeo omni exceptione majoribus, cum adfuerit etiam Regina Angelorum, Mater Sponsi, & Sanctus Josephus, ejus Sponsus? Eum honorem ipsi ab illis exhibitum dum illi occurrerunt, & ipsam collocaverunt in sede, stipantes illam utrinque tanquam Sponsam sui Filij? illum adventum ipsiusmet Christi JESU DEI & Hominis, cum tam illustri comitatu, ad celebrandum hunc actum; & quòd ille ipse inseruerit ejus digito annulum? Somnum illum tam admirandum dormientis inclinato capite super genu sui dilecti, adjumentis creaturas, nè illam suscitarent, illis verbis Cantorum: Adjuro vos Filix Jerusalem, nè suscitetis, neque evigilare faciatis dilectum, quoadusque ipsa velit? Visionem illam tantarum rerum in mptu, ità ut dum eo somno dormiret, cor ipsius vigilaret? illum mysticum annulū, cum sua tam cœlesti sculptura, plena tam Divinis mysterijs? Ego tamen non minus obstupesco profundam animi demissionem, quam ipsa in his omnibus exhibebat, eò quòd eam quasi puduerit acceptare tantum favorem, quòd, dum dulcis ipsius Sponsus illam compellaret tam admirabili titulo Sponsæ, ei firmissimè inhæserit nomen ancilla, quod mox commemorabimus.

CAPUT XXI.

Quàm ipsi firmiter inhæserit affectus Ancillæ Domini, ac de admirandis rebus, quæ evenerunt, concernentes quendam annulum, quem fecit cum hoc titulo Ancillæ, deque nonnullis pœnis, quas subivit, ob leves tum admissas culpas.

Post-

Postquam in anima Marina de Escobar impressus fuisset ille affectus Ancille Domini, quemadmodum aperuit in precedenti capite, perseverabat semper cum ingentis ardore in ipsius corde, adeo ut conciperet desiderium efformandi cuiusdam annuli, e jusdemque gestandi in digito, insculptis in illo istis verbis: Ancilla JESU Christi, mei Domini; quod tamen ipsa parvi faciebat, eò quod vehementer fuerit aversa à singularitatibus, dicebatque sibi ipsi, ut scriberet has literas in corde, hoc enim esse perfectius. Interea fuit quodam die aliquomodo à DEO illuminata, ut id faceret; & quia nihilominus adhuc reluctabatur, interrogavit me, essetne sibi id faciendum, & ego annui, eò quod illa verba essent excitationis affectum cordis, neque ullus hoc esset visurus, cum semper sit affixa lecto. Fuit ergo fieri anulum referentem dicta verba, & inseruit illum digito, in quo erat mysticus annulus, ita ut se invicem non impedirent, quia iste latebat quasi intra digitum, ille vero ipsum circumdabat extime. Atque ista occasione illi acciderunt quedam prorsus admiranda.

S. I.

DUm agerem, inquit illa, quodam die cum Domino, nihil penitus cogitans de gratia, quam mihi erat præstiturus, converti ex ipsius inspiratione oculos animæ ad unam partem, ac vidi Christum JESUM Dominum Nostrum, sedentem in splendido throno, adstantibus ipsi multis Beatis spiritibus, & postquam illum fuisset intuita, cum eo affectu, quem mea anima conceperat, Ancillæ Domini, obtenta nuperâ illâ misericordiâ, dixi illi statim: Bonum meum, ac Domine mi, ego sum tua Ancilla, suscipe me, & habe me pro tali, quia id mihi sufficit, & quidem abundè. Hæc & alia in hunc modum illi dicebam. Quia tamen mihi videbatur, servos à suis Dominis parùm amari, & minùs curari, maximè quando sunt malæ indolis, fures, & fugitivi, qualem ego me esse existimabam, quamvis Dominus, quem ego habe-

bam, non esset instar Dominorum, qui habent tales servos, ideò mea anima secretissimè optabat, ut illi Dominus responderet, quod sit ipsius amica, vel aliquid tale. Nihilominus repetebam prædictum titulum Ancillæ, tametsi cum dolore & confusione, quòd tenerer desiderio audiendi vel aliud responsum. Sed Dominus qui utriusque intelligebat, respondit quodammodo ænigmaticè, & quasi nollet clarè explicare suam voluntatem: *Ego accepto quod dicis, & habeo te eo loco, quo haberi desideras.* Interea conplexi illos sanctos Angelos, qui stabant corâ Domino, ponentes in præparato loco admirabiliter quandam elegantem & pretiosam pelvim, seu scutellâ grandem crystallinam splendidissimam, & vidi, quòd unus sanctus Angelus ex duobus majoribus meis Custodibus, teneret inter extremitates duorum digitorum suæ manûs anulum, quem feceram ac inferueram meo digito, cum inscriptione: *Ancilla JESU Christi, mei Domini.* Hic autem Sanctus Angelus illum tradidit alteri, qui erat vicinior Divinæ Majestati, & iste ipsū apprehendit eodem modo, quo illum tenuerat prior, deditque Angelo Majori, stanti juxta Christum Dominum, atque ille anulum creptum extremitatibus suorum digitorum posuit in medio istius admirandæ pelvis. Ego obstupefacta, & quasi confusa, quòd spectarem tale mysterium, siquidem mihi videbatur esse res valde extraordinaria, videre ibi anulum, quem ego advertebam in meo digito, dicebam in secreto meæ animæ: *DEUS mi, & Domine mi, quid hoc erit? Cùm iste annulus sit hic in meo digito, quomodo est ibi in illa pelvi? & incitata ab hoc affectu, tetigi extremitate alterius digiti locum ac digitum, ubi ego posueram illum anulum. Non assignarem certa indicia, fueritne ibi, an non, quamvis multò magis propendeam in id, quòd fuerit. Videns Dominus quòd feceram, ostendit sibi id displicere, neque se probavisse, quòd voluerim explorare & scire, atque hoc modo experiri, essetne verum, an non, dictū mysterium. Unde quasi me graviter reprehendens, mihi dixit: Virtus illius, substan-*

stantia, & valor hic est: si verò aliquid modo habes in tuo digito, est instar umbræ, & accidentium ipsius. Fui valde afflicta, anxia, & confusa, dum hoc audirem: Divina autem Majestas dedit subito tres benedictiones illi annulo, qui erat in pelvi, & acceptum suâ sacratissimâ manu tradidit Angelo, à quo ibi fuerat positus, & hic illum porrexit alteri Minori, iste verò Angelo meo Custodi eo modo, quo ipsum tulerat ad Dominum: atque Angelus meus Custos illū inseruit meo digito, sicut prius insertum habueram. Hoc peracto, postquam Angeli inde abstulissent eum apparatus, & dictam pelvim, dixerunt mihi sancti Angeli mei Custodes: Agedum soror, dispone te & præpara pro aliqua misericordiâ, quam acceptura es à Domino. Ego hoc audiendo fui turbata, quia ob ea, quæ acciderant, timebam; videns tamen id velle Dominum, consensi, ac dixi ipsis; ut adimpleretur in me DEI voluntas; hæc enim erat dispositio, quam à me petebant sancti Angeli: à quibus statim meâ animâ, quæ erat in ecstasi, fuit ducta ad quandam altissimum & cœlestem locum, ad conspectum Divinæ Majestatis, ubi intellexi, ex Divina ejusdem dispositione, magna & mirabilia de ipsius omnipotentia, & natura Divina. Vidi etiam sanctissimam Virginem Dominam nostram, & innumerabiles Angelos, assidentes Divinæ Majestati, etsi illius conspectu non potuerim frui, neque Virginis sacratissimæ, eò quod mihi parum pro eo concederetur spatij; tamen cum eos intuerer, vidi prope me, ad meam sinistram manum, stantem Christum Dominum, conspicuum magnâ & supremâ majestate, qualiter illum hæcenus nunquam videram: aspexi ipsum reverenter, & Divina Majestas non me intuebatur, sed sanctos Angelos, qui me illuc perduxerant, & optime illum intellexerant, ideoque me mulctaverunt penâ, quæ mihi satis bonâ afflictionem ac dolorem attulit, ac deinde reposuerunt in meo loco, ubi mihi reddita, me reperi fatigatam, lassam, & contractam. Postquam diu quievissim, solatus est me Dominus, mitigavitque eum dolorem, atque contractionem, quam sentie-

runt membra corporis, dicens mihi, & significans modo quodam, aliquantum suavi, & blando, sibi displicuisse defectum, quem commiseram, dum volui eo modo habere indicium, ut scirem & explorarem, essentne veræ, an non, misericordiæ, quas Divina Majestas mihi exhibebat, & hanc fuisse culpam, quâ promerita fuerim penam, quæ mihi erat inflata. Hinc cepi plus solatij, etiamsi verè non recorder, me fuisse à Domino reprehensam ob alios speciales defectus, propter quos cognoverim in ejus Majestate tale genus displicentiæ & aversionis. Ipse sit benedictus in æternum, qui me tolerat.

In hac visione bene advertendum est, quod volens Dominus castigare istum exiguum defectum sue famulæ, tanquam benignus Pater, assumpsit pro exequutoribus, non demones, sed ipsosmet illius sanctos Angelos; qui cum agnoscerent, omnia cedere in bonum hujus sue sororis, quando illi dixerunt, ut se præpararet pro magna misericordiâ, quam DEUS ipsi esset exhibiturus, intellexerunt nomine misericordiæ, non tantum visionem rerum cœlestium, sed etiam dolorem istius punitionis, juxta illud dictum Davidis, quod DEUS Dominus noster propitium se exhibuerit Moysi, & Aaroni, ulciscendo eorum peccata.

§. II.

Admirabilius tamen est, magisque stupendum, quod illi, quoad hoc, evenit aliquando post. Quodam die, ait, Angeli à me petiverunt istum annulum, quem habebam in meo digito. Ego, ut sum timida in his rebus extraordinarijs, reculavi illum dare: post paucos abhinc dies iterum à me postulaverunt, & similiter abnuvi. Dixerunt verò mihi, id velle Dominum DEUM, & jubere; atque tunc ego, nesciens quomodo, deposui annulum ex digito, & tenui illum in mea manu, unde ipsum sustulerunt sancti Angeli, inceperuntque fabricare alium illi similem perelegantem, & ex metallo quodam pretiosissimo: quod ego videns, converti me ad Christum Dominum, qui aderat, & incepillum quam instantissime obsecrare mo-

re meo, per ipsius bonitatem, per ejus pretiosissimum sanguinem, perque multos alios titulos, quos allegabam, ut me illuminaret, ne deciperer, utque cognoscerem ipsius veritates, & illum amarem, omnibus meis viribus. Angeli, postquam perfecissent suum annulum, tulerunt illum ad Christum Dominum, cui ipse bene precatus est, & illi eum statim voluerunt inferere digito, in quo solebat esse alter. Quamvis autem ego multum resisterem, Angeli ipso facto id præstiterunt, & meo illum digito inseruerunt. Post aliquantum deinde temporis mihi ipsum abstulerunt, dicentes se eum velle servare in thesauro, ubi erant alia deposita; & restituerunt mihi meum annulum visibilem, quem prius habueram. Hæc omnia me vehementer angebant, & Angelus me reprehendebat ob istum adeo anxium timorem, quem habebam. Sed ego non cessabam recurrere ad Christum Dominum, petendo ab ipso instantissimè lumen, uti consueveram, donec mihi Divina Majestas dixisset. Quare turbaris, & affligeris propter ista miracula? Animadvertite esse mea, sicut vides. Et verò non est aliter; non obstantibus enim his timoribus, qui oriuntur ex mea natura, usque adeo meticulosa, & verecunda, tam clarè video, ista fieri à DEO, ut non possum hac de re dubitare, absque magno scrupulo.

Octiduo post, ipso festo Sancti Michaelis Archangeli, cum infirma decumberem in lecto, & vigilarem in DEI præsentia, audi in cælo celebrari magnum festum ac solennitatem; & vidi cives cæli, splendentes instar ardentissimorum ignium. Extimui propterea, & simulavi me id non audire. Sed Angeli, qui mihi adstabant, animadvertentes istum timorem, abripuerunt me in spiritu, tuleruntque ad cælum, ubi agebatur illud solenne festum. Eram ibi valde verecunda atque confusa, & circumspiciens, vidi quendam sumptuosum maximum thronum, ac in eo coronam pretiosissimam, quæ ante paucos dies mihi fuerat ostensa, super coronam autem erat annulus, quem fabricaverunt Angeli, cum suo titulo, qui erat iste: *Ancilla JE-*

SU Christi, mei Domini. Deinde statim fuit instituta supplicatio, in qua procedebat gloriosus Princeps Sanctus Michael, mirum in modum speciosus, cinctus innumerabilibus Angelis, & in sua manu tenebat baculum, cui erant inscripta hæc verba grandibus literis: QVIS, UT DEUS? Tum accepit quidam Angelus illum annulum, deditque ipsum gloriosissimo Principi, qui eum posuit in extremitate sui digiti, intuitusque me, ita, cæteris Angelis audientibus, dixit: Hoc est insigne illius creaturæ: postquam enim illi DEUS Dominus Noster talem gratiam præstitisset, ut celebraret eum ipsa desponsatione tam gratiosam, pervasit intime illius animam spiritus Ancillæ Domini, seque talem reputavit. Ego id audiens erubecebam, & confundebar vehementer. Processio obivit illam supernam aulam, donec reverteretur ad locum, ubi fuit cæpta; & eà finita, restituit Sanctus Archangelus annulum Angelo, à quo illi fuerat datus, cæteri verò me reduxerunt ad meum locum. *Hoc modò DEUS honorat humiles, assumens pro instrumento istius honoris Principem sue Ecclesie Sanctum Michaelem, cujus nomen significat titulus inscriptus ejusdem baculo: QVIS UT DEUS? Cujus veritatem experiantur illi, qui in spiritu humilitatis se reputant esse ipsius mancipia, atque, ut sunt fideles, gloriantur, se esse illi subditos, ac subiectos in omnibus.*

§. III.

ALias mihi accidit, ut dum haberem in meis digitis aliquos annulos cum inscriptione: *Ancilla JESU Christi, Domini Nostri*; Divina Majestas mihi cum imperio dixerit: Aufer istos annulos ex digitis, & pone illos hic supra lectum; quod ego feci in momento, absque tergiversatione, & statim venerunt quidam Angeli, qui eos impositos, in quandam quasi arculam clausam, tulerunt ad Christum Dominum, qui accipiens annulos, inseruit illos suis digitis, eosdemque detractos benedixit, ac reposuit in dicta arcula. Tum vidi, quomodo Angeli portaverint arculam ad cælestem Jerusalem, collocaverintque

que ipsam ante sacratissimam Virginem, quæ apprehensos à se annulos, ex reverentia erga Dominum, à quo fuerant attackti, est venerata, & applicuit suis oculis, ac deinde reposuit, ubi priùs fuerant, redeuntibus Angelis ad priorem locum, in quo erat Christus Dominus. Fui passà statim ecstasim, & quando ad me redij, reperi tres annulos supra lectum, ubi illos collocaveram, quos accepi ac inserui meis digitis, sicut antea, admirans Divinum agendi modum.

Aliàs in Februario Anni 1618. dum agerem cum Domino, valde oppressa doloribus, dixit mihi: Surge, Marina, & cum

non possem, appropinquavit mihi, ac dixit: Apprehende istam vestem, & surge; surrexi, & prostravi me coram illo; ipse verò mihi denuò dixit: surge; & confestim vidi, quòd haberet in suis manibus duos annulos, quos ego gesto in digitis, cum illa inscriptione: *Ancilla JESU Christi Domini nostri*; statimque ipsos Divina Majestas inseruit meis digitis, dicendo: Plurimum mihi placet iste affectus Ancillæ meæ; ego te assumo pro tali, ideoque tibi ipsemet insero istos annulos, ex eo enim, quòd attigerint meas manus, amplius illos æstimabis.

☉* * * ☉

CAPVT XXII.

Quomodo illi Christus Dominus, ac Sanctissima ipsius Mater, monstraverint sanctitatem gloriosi S. Dominici, cum adhuc esset puer, ut ei bene afficeretur: & Sanctus illam deinceps inceperit invisere, procurando, ut esset addicta ipsius Religiosis.

Volebat Christus Dominus, & Sanctissima ipsius Mater, ut famula ipsius magis esset addicta glorioso Sancto Dominico, propter ingens bonum, quod inde esset proventurum illi, & alijs; utque eam redderent ipsi bene posthac affectam, ostenderunt ipsum illi in ætate puerili, eà conspicuum sanctitate, quã tunc erit præditus, quemadmodum ei etiam fuit manifestata. Sanctorum Joannis Baptiste & Bonaventuræ sanctitas, quã in teneris annis eminuerunt, qualem non semper est reperire in alijs sanctis. sic igitur ipsi ait:

§. I.

Dum quodam die cum DEO agerem, amando illum omnibus viribus meis, & aliunde affligerer ac angerer quibusdam rebus, quæ sulcabat diabolus; vidi Christum JESUM Dominum nostrum, qui mihi comparens tenebat

manu quendam parvum puerum, circiter bimulum. Videbatur mihi id mirabile, & ambigebam, quidnam esse posset; nec volebam aspicere puerum, sed Christum Dominum; qui animadversã meã hæsitatione, dissimulavit aliquamdiu meum factum, & paulò post iterum præbuit illum puerum intuendum oculis animæ, adeò ut non possem satiari ipsius aspectu. Vidi autem, esse puerum sanctum, & speciosissimum, indutum vesticulis candidissimis, instar nivis, quarum tela cilicina erat delicatissima & pretiosissima. Plurimum mihi gratulabar, quòd ipsum viderem, nec ab illo poteram avertere oculos: sed nesciebam, quis esset. Paulò post mihi dixit Dominus: Noveris, hunc parvulum, quẽ, ut vides, teneo manu, esse Dominicum, qualis fuit puer in eã ætate, ut cognoscas in isto puero magnam sanctitatem & puritatem, quæ animæ ipsius inerat, & quam propterea meritò illum amaverim, bene illi voluerim, ipsumque protexerim. Et subito, singulariter à Divina Majestate illu-

○ 2

illuminata, cognovi in eo pupulo insignē sanctitatem, & puritatem animæ ejus, adeo, ut sicut vidi sanctum illud corpusculum tam gratiosum, ipsiusque vultum tam speciosum, ita viderem internum ejusdem statum, & animam purissimam ac sanctissimam, ut idcirco mihi visum fuerit id, quod etiam in illo cognovi, ipsum jam inde ab illa sua tenellula ætate, ex speciali DEI providentia, fecisse opera summè meritoria. Atque dum hanc puelluli agnoscerem sanctitatem, fuit mea anima repleta magno ipsius amore, ut illum proinde continuè aspicerem, ac amarem, tenerèque ac blandè alloquerer. Sanctus autem puer me intuebatur peramanter, ac deinde respiciebat Christum Dominum, & aridebat ejus Majestatem, eò quod ipsi antea noluissem intueri, modò autem aspicerem, ac amarem tantopere, ut illum amore impellente taliter alloquerer. Hoc duravit aliquamdiu, & postea Christus Dominus abiit, abducens secum Sanctum puerum, relinquensque me lætissimam ac flagrantissimam amore Sancti, ita ut triduo vel quatrinduo identidem repeterem illa tenera verba. Post hoc quãdam nocte agens cum Domino, elevavi oculos animæ, & conspexi sacratissimam Virginem speciosissimam, & perelegantem vestitam, eam majestate præditam & honestate, cum qua mihi spectandam contuevit exhibere, & vidi juxta illam eundem puellum, quem mihi Christus Dominus nuper ostenderat, isdem indutum vestibus, super quas defluentem è collo habebat torquem ex auro, & gemmis pretiosissimis; dicebatque mihi tum Beatissima Virgo: Vide, vide, quàm sit elegans, & formosus, ac sanctus iste puerulus; & componebat ipsius monilia, quæ gestabat in collo: mulcebat etiam suã sanctã manu ejus caput, blandèque contrectabat vultum, & speciosum capillum. Hæc omnia agebat sanctissima Virgo sedens, parvulo stante, & exporrigens brachia, volebat illum attollere ad tuum sinum, sed sanctus puellus, humiliando se quàm reverentissimè, abnebat. Ego vehementer eram attentã, & stupebam, videns id fieri: jam considera-

bam Celsissimam Virginem, & magnitudinem gratiarum ac donorum, quæ ex Divino ipsius vultu & corpore emicabant, jam autem intuebar sanctum puerum, tam elegantem, & gratiosum corpore ac vultu, tamque sanctum, purum ac nitidum in anima. Et cum non possem ferre vehementiam amoris, quo cor meum ardebat, sepius illum sum amplexata, repetendo verba, quibus ipsum compellaverã, quando mihi fuit ostensus à Christo Domino. Sanctus puer præbebat indicia magnã mansuetudine, & benignitate, sibi placere id, quod faciebam, ut mea anima recrearetur in suis afflictionibus, significando mihi, se propterea ad me venisse: & Sanctissima Virgo mihi dixit, se ideo, quod plurimum fuerit, addicta isti glorioso Sancto in ipsius pueritia, amaveritque ipsum specialiter, & singulari curã protexerit, voluisse mihi præstare eam gratiam, ut ipsum ad me adduceret, pro meo solatio. Detinuit se apud me aliquamdiu, & postea abivit, abducens secum sanctum puerum, cujus memoriam & amorem retinui tam ardentem in meo corde, ut mihi ipsum semper viderer meã animã complecti; atque devotio erga eundem gloriosum sanctum in me perduravit hæctenus, & cum gratia DEI durabit, quoad duraverit vita.

*Ex his duabus revelationibus est animadvertere magna initia, hujus magni Patriarchæ, fundata in talibus duabus prerogativis, quod illum videlicet adeo specialiter amaverit Christus Dominus, & ipsius Sanctissima Mater, jam inde ab ejus pueritia, accedendo ipsi usum rationis, ut statim (quem admodum ait Marina) inchoaret suã heroi-
ca opem.*

§. II.

Post hoc Sanctus Patriarcha, in sua propria ætate, & constitutione, illam sæpe invisit, atque in primis visitationibus id spectavit, ut ipsam inclinaret, ex DEI voluntate, ad agendum etiam cum suis Religiosis, sicut agebat cum ijs, qui sunt ex Societate. Quadam vice, inquit, mihi ægrotanti, dixit Dominus: Vide, ut obedias tuo Confessario (erat is Pater Petrus de Leon) qui tibi

tibi dixit, ut ipsum moneres, si quare indigeres, & quia modo es constituta in necessitate, manifesta id illi. Quia tamen ego exiguum mei ipsius gerebam curam, videbaturque mihi mea necessitas non esse tanta, & sentiebam solatium in ea toleranda, respondi: Domine, dicat hoc illi Tua Majestas, si voluerit, vel cui visum fuerit, quia ego enim nollem dicere. Dominus vero mihi secundo dixit: Dic tu id illi: Tunc tacui, & statui ita facere, eò quòd Dominus vellet, quando venturus esset ad me inuisendam. Dignata est tamen Divina Majestas respicere meum desiderium, mihi que alia vice prospicere: quia postridie cum vacarem meae collectioni, me visitavit gloriosus Sanctus Dominicus, exhibens mihi vultum plenum coelesti letitia, & compatiens meae necessitati ac debilitati, mihi dixit amantissimè: Vehementer tibi condoleo ob necessitatem ac debilitatem, quam pateris: quare non vis adire meos, quos tibi obtuli, quia & ipsi te adjuvabunt, ac subvenient tuae indigentiae quam libentissimè? Noveris autem, quòd ego tibi modò cogitem succurrere, quia te video in necessitate constitutam. Audi vi, quòd mihi fuerat à Sancto dictum, & gratias ipsi egi pro favore, quem mihi præ-

stabat, visitando me, & consolando: ad illud verò, quòd mihi dixit, se subventurum meae necessitati, nullum ei respondi verbum. Postquam aliquamdiu apud me mansisset, disparuit, & postridie mane venerunt ad me, visitationis gratia, duo Religiosi ex ipsius Ordine, qui me nunquam viderant, atque unus ex illis me rogavit instantissimè, ut vellem suscipere amore Christi, & sanguinis ejus pretiosi, id quòd pro meae indigentiae subsidio mihi offerebat. Ego diu reluctabar, nolens donum suscipere, quòd tamen servus DEI non est passus à me non acceptari. Eo ipso die me inuisit meus Confessarius, sicut consueverat me in meis adire morbis, cui totum recensui, quòd mihi contigerat. Ipse magnas idcirco gratias DEO egit, atque etiam mihi aliquid attulit, quo sublevaretur mea necessitas. Hoc, ait, refero, ut appareat providentia, quà DEUS pro sua infinita Bonitate prospicit suis pauperibus creaturis, utque omnes ipsum ament, illique obediant, quòd sit, qui est; reponantque in eo omnem suam spem. *Qua gloriosus Sanctus Dominicus constituent, prosequutus est impensius, quoadusque assequeretur propositum sibi finem, ut apparebit in sequenti capite.*

CAPUT XXIII.

Quomodo DEUS, postulante glorioso S. Dominico, fecerit, ut egrederetur ex sua solitudine, ad convertendum etiam cum ipsius Religiosis, & cum proximis.

Anno 1509. quo attingent quadagesimum quintum annum aetatis, DEUS volens, ut Venabilis Marina de Escobar pervinceret naturalem repugnantiam, ac verecundiam, quae retraheretur ab agendo cum proximis, utque pro sua charitate ipsis aliquo modo prodesset, usus est operà gloriosi Sancti Dominici, qui tanto arsit animarum zelo, & quem speciali jam prosequeretur devotionis cultu, ut ex dictis precedenti capite constat. Progrediebatur autem hac in re

sensu, & quàm suavissimè, accommodando se imbecillitati ac naturae, quae ab illo fuerunt praedita. Erat jam abundè amore erga proximos instructa, licet is non tantus ipsi esse videretur, quantum habere voluisset. sed Dominus illi dixit: Cum cor tuum eà flagret charitate erga proximum, ut libenter vitae tuae pati velles jacturam, pro ipsius anima servanda, quare metuis, amesne illum, an non? Hoc verò est illum amare. Præterea jam provec̃ta erat aetatis, cum quinque supra quadraginta numeraret annos, quae aetas erat aptior inchoando isti operi, quòd quidem

quidem eo est aggressa modo, quem ipsa his refert verbis:

§. I.

Postquam me gloriosus Sanctus Dominicus aliquando suo more fuisset dignatus invisere, advertissetq; me ita Societati esse affixam, eò quòd ipsius doctrinà essem educata, ut putarem, à me in nulla Religione inventum iri Magistrum & Confessarium, qui meæ satisfaceret indigentia, volens idem gloriosus Sanctus mihi significare, omninò inveniendum, ut etiam cum ipsius agerem Religiosis, dixit mihi: Si quempiam velles inter meos, non deesset tibi Confessarius ac Magister spiritualis idoneus, pro tua necessitate, & consolatione. Noli cogitare talem defuturum. Magno mihi fuit solatio, videre ardentem istius sancti charitatem, ac desiderium, quo tenebatur, ut adirem ipsius Religiosos, quasi ego miserabilis quidquam illis essem profutura. Post triduum deinde vel quadriduum, dum aliquando manè pro more agerem cum DEO, dixit mihi Divina Majestas, esse suam voluntatem, ut aliquot diebus agam & converser cum quibusdam ex Ordine Sancti Dominici, pro aliquo ipsorum spirituali emolumento; id quod ego existimo factum esse, petente ac urgente glorioso Sancto Dominico. Et quia DEUS se initio solet insinuare suaviter, quando ejus Majestas similia animæ inspirat, non inferendo illi propterea magnam vim, ego id dissimulabam. Sed cum mihi iteratò diceret, se hoc velle, retuli illo die meo Confessario (is erat Pater Petrus de Leon) quod acciderat; qui mihi dixit, ut rem DEO commendarem, & videremus, quomodo ea inspiratio ulterius progrediretur. Præterierant aliquot exinde dies, & DEUS semper meæ animæ inspirabat, quod mihi dixerat, vehementerque me ad id impellebat, quamvis ego semper desiderabam, si esset voluntas DEI, non egredi ex meo angulo, & ibi sola agere cum Divina Majestate, sicut consueveram; ideòq; continuè conquerebar Divinæ Majestati, & sæpe illi dicebam cum lacrymis: Mi Domine, & Bonum meum, quò me vis

ire? quid est hoc, quod me jubes facere? adverte per bonitatem tuâ, me esse mulierculam simplicem, imbecillem, & inhabile ac destitutâ viribus, atq; ita meticulosam, & pusillanimum ex mea naturali propensione, sicut tu, Bonum meum ac Domine scis, quòdque nunquam sola egerim nisi tecum, & cum meo Confessario, ut me instrueret, ac duceret per viam tuâ sanctæ voluntatis? Quid ergo modò me vis facere, si est verum, ut est, quod tibi dixi? Respondit mihi Divina Majestas & Bonitas peramanter, affabiliter, & suaviter: Perge filia, fac, quod tibi dico; esto bono animo, & noli angere: ego enim te juvabo, ac docebo. Sed quasi id non sufficeret ad abigendam meam pusillanimitatem, dixit mihi præterea quodam die oranti Dominus: Ut majore libertate & animo, ac solatio possis exequi quod desidero, volo tibi dare meam epistolam, quam includas ac observes in tuo corde, ut illud corroboret, donetque libertate, ac sit instar epistolæ assertoriæ, quâ habitâ possis absque metu & erubescencia transire quacunq; volueris, ac loqui, & conversari cum ijs omnibus, quibus cum tibi hunc in finem opus fuerit loqui, & conversari. Quo dicto, ostendit mihi membranam longam, propè duarum spithamarum, latam autem sex circiter digitis, in qua erant grandes quedam literæ, scriptæ auro purissimo, ac admirabiliter efformatæ, in duabus illius membranæ lineis; & postquam mihi monstravisset, accessit ad me, intromisitque illas in meum pectus. Ego verò miserabilis videns tantum mysterium, & opus potentis manus Divinæ, fui consternata & obstupui; agnoscensque me indignissimâ tantâ misericordiâ, eram quasi turbata, eò quòd mihi talis honor exhiberetur, ut vix adverterim, quomodo Dominus sanctum illud scriptum imposuerit in pectus: unde conversa ad Divinam Majestatem dixi illi: Mi Domine, quid mihi dedisti, & posuisti intrâ meam animam, quod non bene videtis resume id, Bonum meum, & Domine mi, & da mihi denuò; volo enim videre & intelligere, quomodo mihi illud des, ponasque intrâ meam animam. Tum Domi-

nus

nus recepit scriptum, quod imposuerat meo pectore, denuoq̄ue mihi id exhibendo dixit: Aspice: atque subito coram meæ animæ oculis, qui talia vident quàm clarissimè, illud reposuit in meo pectore. Quo factò, mea anima fuit repleta ipsius amore, & prædita novâ quadam libertate ac animositate, ità ut non sentirem illam tantâ difficultatem, tametsi natura mea verecunda ac timida, adhuc quadantenus faceret, quod ipsius erat partium, meque nonnihil post se traheret.

§. II.

Sub hæc, meus Confessarius, cui omnia recensui, advertens me esse tam verecundam, ac tantam sentire eo in opere difficultatem, animavit & solatus est me, ac dixit mihi semel iterumque, ut cum benedictione DEI & sua exequerer, quod mihi Divina Majestas inspirabat, neque enim illi accidebat mirum, aut multum ablucebat ab ipsius cogitatione, quòd me DEUS ad similia incitaret. Tum ego suscepi illius benedictionem, & ipse post biduum infirmatus incidit in graves febres, quas illi DEUS est dignatus immittere: quo tempore mansi quasi sola, ac destituta solatio Patris spiritualis seu Magistri, qui me in ejusmodi posset juvare occasione, quia ità DEUS disposuerat, ac permiserat, ob causam Sux Majestati perispectam. Tunc Divina Majestas incepit vehementer urgere meam animam, dicendo mihi, ut egrederer ex meo angulo, meque conferrem ad Aedem Sancti Dominici, ubi ego nunquã de ejusmodi rebus fueram loquuta, velegeram, necdum mihi indicando, quocum mihi esset loquendum, neque causas, quas me oporteret adferre, injuncti mihi ab ejus Majestate muneris. Egressa sum statim, nullibi subsistendo, magis à spiritus, quàm humanæ naturæ ducta impetu. Ibam hinc quidem cum ingenti animo, ac firmo decreto exequendi, quod mihi DEUS inspirabat, & mandabat, indè verò magnam inferendo vim naturali meæ propensione, ac proinde licet irem affluens solatio & animata, pergebam tamen etiam modò ge-

mens, modò quasi DEO conquerens, quòd ità mecum ageret: atque unã optabam ex omnibus meis viribus, & orabam DEUM extoto meo corde, & anima, ut mihi impertiretur suum sanctũ Spiritum, & gratiam, quò omnia mea opera, cogitationes ac verba, cederent ad majorem ipsius gloriam & obsequium, nec non ad emolumentum & fructum earum animarum, cum quibus essem actura & loquutura. Præterea mea anima summè flagrabat amore DEI, tenebaturque maximo quodam & extraordinario desiderio incumbendi in commodum, & profectum animarum. Ità perveni ad Sanctum Paulum, ubi me Dominus docuit, & illuminavit ostendendo mihi, quid me facere, & quæ dicere oporteret: ideòque advocavi, & alloquuta sum illo tempore matutino Priorem ejus monasterij, & aperui illi inspirationem DEI, cujus instinctu venirem, rogatura ipsum quàm instantissimè, ut si cuperet Divinum assequi beneplacitum in omnibus operibus, quæ perageret, vellentque se abstrahere, & expeditum videre ab omnibus rebus terrenis, atque amare, & suã animã complecti tantummodo DEUM, frequenter conveniret Divinam Majestatem, orando mentaliter, & conaretur illum semper habere præsentem, in omnibus actionibus, atque id ipsum intimaret ac diceret universis, quos vellet progressum facere in virtute, & spiritu, ac perfectione vitæ. Idem dicebam omnibus, quos alloquebar, ijs verbis, & eã efficacità, quam Dominus dabat meæ animæ, ut Divina Majestas videretur per illa suscitare & incendere ignem sui sancti amoris animabus. Audivit Prior verba, quæ ex Divina inspiratione ipsi dicebam, & acceptavit cum magna charitate, & gratiarum actione, tantæque humilitate, ut bene advertetur opus illud esse DEI, & non alicujus mulierculæ simplicis ac miserabilis, & ad omnia ineptæ, qualis ego sum; statimque vocavit alium Religiosum gravem, & servum DEI, ut exciperet meam confessionem, si quando eò venirem, quia id ego ab ipso petiveram, habitã facultate à meo Confessario, qui infirmabatur, sinè qua id

non

non fecissem. Cum hoc Religioso mihi idem accidit, quod cum primo; acceptavit enim eodem modo verba, quæ illi dixi DEO inspirante; quia Divina Majestas ita rem disponebat. Iste Religiosus se mihi peramanter quàm promptissimum exhibuit ad excipiendas meas confessiones, quandocunque vellem, & venire ad illud monasterium: quia enim eo tempore carebam meo Confessario, & ego tunc non habebam alium, debebamque illuc nolens volens ire, ut satisfacerem illi officio, quod mihi DEUS inspirabat, hic Religiosus mihi consentienti aures accommodabat eâ promptitudine, ut me nullo modo pateretur à se abire ad alium. Quin etiam deinde, cum jam non esset opus, me eò pergere explendi illius muneris gratiâ, conversabatur mecum, exquirebat meum judiciû, quidnam expediret, magisque prodesset animabus in concionibus ad populû, quas habebat: & interdum mihi pro meo solatio asseverabat, à me ipsi, & reliquis Religiosis dicta, singulariter profuisse. Aliquot diebus continuabam, quod mihi DEUS inspirabat, eratque ut exponerem Religiosis, quibuscum agebam, quædam puncta rerum spiritualium: siquidem hæc magni Theologi non bene intelligunt, nisi eorû habeant usum, sintque DEO familiares. Dicebam illis, exempli causâ, quid sit unio animæ cum DEO, & quos in ea motus & effectus operetur hoc tantum bonum; alias autem, quid sit cognitio sui ipsius, quando illam DEUS per speciale lumen infundit animæ, non absque magna vehementia & efficacia, & quos adeò admirandos ac utiles producant effectus in anima; alias, quid sit spiritus, quid agere & conversari cum DEO, qualisve modus, quo Divina Majestas aperit animæ, cui se eâ ratione communicat, suam voluntatem, non in rebus duntaxat ordinarijs, verum etiam in extraordinarijs.

§. III.

Hoc idem officiu, quod mihi DEUS inspirabat, cum magno suæ Majestatis amore, & ardenti desiderio, procurandi bonum animarum, prosequerbar per

illos omnes dies eo modo, ut propterea sæpe, cum nihil aliud possem agere, præ illa fame, quâ exoptabam bonum animarum, prosequerbar per illos omnes dies eo modo, ut propterea sæpe, cum nihil aliud possem agere, præ illa fame, quâ exoptabam bonum animarum, accederem eos, quibus fiebam obvia, & quasi ex proposito illis occurrerem, captando occasionem ex te quæpiam, quam ipsis volebam dicere, vel ex ijs quærere, si illos nossem, atque alias, etiamsi mihi essent ignoti, rogando ipsos, ut impensè DEUM amarent, diceremque illis, optimum modum amandi DEUM esse, adire Divinam Majestatem vacando orationi: id quod per DEI gratiam inhaerebat animabus omnium, quos alloquebar, tum Religiosorum, tum secularium, ita ut manifestè viderem esse permotos & accensos Amore Divino, ac ingenti desiderio, ut plura semper ac plura ipsis dicerem de Amore DEI, deque ejus Divina Bonitate. Et interdum eveniebat, ut perambulando plateam, inciderem in parvos pueros, atque non mihi possem temperare, quin ducta à spiritu illius desiderio, ipsi accederem, & aliquem interrogarem dicendo: Parvule, callésne Salutationem Angelicam, ac Orationem Dominicam? & quando respondebant, se eas preces scire, dicebâ illis: Orate sic mei pupuli quotidie, & rogate Beatissimam Virginem ad DEUM, ut vos faciat suos servos; detque vobis magnum sui amorem. Aspiciebant me, quando ipsis id inculcabam, ac dicebant: Itâ faciemus, Domina. Et cum mea anima plena esset istis ferventibus desiderijs, ut animabus prodessem, contigit mihi aliquando, ut expectarem multis horis ac diebus, & quærerè tempus ac locum indicandi cuidâ personæ id, quod mihi propterea DEUS inspirabat; atque postquam fuisset illam alloquuta, & assecuta, quod desideraveram, fecissemque, quod mihi à DEO fuerat inspiratum, tanto repleter solatio, adeoq; gauderem, ut ipsum etiam miserabile corpus videretur instaurari novis viribus, ac refocillari. Et verò ille unicus meus videbatur esse cibus, quasi eo satisfacerem meæ indigentæ, ac debilitati, quod

quod re verâ fiebat. Accidit autem mihi quâdam vice, ut cum idcirco expectaviffem, nescio quot diebus quandam Religiofam personam, tandem ipsam expectaverim aliquando manè aliquot horis. Dum autem me sentirem fatigatam ac debilem, converti me ad DEUM, dixique illi: Mi Domine, quantò mihi constat, ut alloquar istam personam, & attraham illam ad te? Dixit verò mihi tunc Divina Majestas: Viderisne tibi expectaviffè diu? Diutius ego expectabam, & amplius laborabam, quam tu, pro animarum conversione. Dic age, an non recorderis Samaritanæ? Audivi, quod mihi Divina Majestas dixit, ac tacui, atque expectavi, & vehementer fui pudefacta, videndo id mihi meritò fuisse dictum à Domino. Postquam autem fuiffem alloquuta eam personam, & compleviffem inspirationem Divinam, cepi inde ingens solatium, & fui plurimum recreata, sicut aliàs. Inspirabat mihi quoque Dominus, & imperabat, vehementerque me impellebat, ad redarguendos defectus, oblati mihi ab ipsius Majestate occasionibus, adeò, ut si incedens per plateam, audirem aliqua verba, quibus DEUS offenderetur, vel proximi, non possem præterire, quin talia proferentes accederem, ipsisque exponerem malum, quod perpetrarent; & quantum infinitam DEI Bonitatem, ejusmodi offenderent peccatis. Quòd si aliquando id præmittebam, eò quòd essem muliercula, quia tamen intimè dolebam, videns offendi DEUM, cogebam redire, nisi vellem angi ingenti scrupulo. Tanta verò fuit DEI erga me clementia, ut semper specialem referrem ex tali opere fructum. Dum quadam vice essem in templo, ingressa est nobilis Domina, & voluit considerè in loco, occupato à paupere famina, quam, vehementer indignata, jus-

sit indè quamprimum facessere: incepit quoque increpare ancillas, eò quòd illam non quantocyùs abigerent. Ea enim erat ipsius natura cholericâ, & inveterata consuetudo. Tunc mihi dixit Dominus: Surge, ac adi illam Dominam, & dic ipsi, ut meminerit nihili, ex quo facta est: atque idcirco, quàm tibi videbitur optimè, ipsam mone, ut se humiliet; i, perge. Audivi, quod mihi dictum fuerat à Domino, & fui modicum turbata, videns mihi ab illo præcipi, quod usque adeò alienum erat à mea naturali inclinatione, & à mea vilitate. Sed tandem, quia mihi mandabatur à Domino magnâ efficaciam ac determinatione, non erat mihi possibile aliud agere, nisi illum vellem offendere, ac repugnare ipsius voluntati, meque ei exhibere inobedientem. Unde surrexi, & accedens ad illam Dominam dixi ipsi, quàm amantissimè & suavissimè potui, atque sicut fueram edocta à Domino, verba, quæ à Divina Majestate jussa eram dicere, & ipsa meam motionem acceptavit cum insigni animi demissione, amplexando me, gratiasque mihi magnas agendo, pro exhibita sibi charitate, ac me quàm enixissimè rogando, neque dimittere volendo ex manibus, ut se commendarem DEO, & filium, què habebat ægrotum, sibi que dicerem, quænam essem, & ubi commorarer. Ego illi respondi me nihil esse, & nullius frugis, atque gratiam mihi ab illa præstandam esse, eam, quam ab ipso petiveram. In hunc modum tunc eveniebant alia, pro quibus omnibus magnas agebam DEO gratias, & mea anima replebatur ingenti solatio, quòd viderem à Divina Majestate tantopere incendi animas Divino ipsius amore, hoc medio, & isto instrumento adhibito, quod est usque adeò infirmum, ac miserabile.

CAPUT XXIV.

Quomodo diabolus multis technis fuerit conatus hoc opus impedire.

P

Act 105



Actus in rabiem diabolus, & egre ferens bonum, quod DEUS istā viā operabatur in animabus, conatus est id operis impedire, & inturbare, quum potuit solertissime: & eo, quem illa refert, modo incepit.

§. I.

CUm aliquando irem ex templo, adverti insistentem vestigijs meis dæmonem, qui mihi appropinquans protulit enormem blasphemiam, quā auditā circumspexi, vidi illum in specie crudelissimi lupi, latē diducto rictu hiantem, dixique ipsi: Tūc es infelix? prosequuta sum meū iter, donec pervenirem ad meam domum, & ipse me sequebatur ad portam usque; postea verò illum amplius non vidi, nisi postridie manē, dum essem, more meo, collecta: tum ipsum in eadem conspexi specie, qua antea, conantem ad me accedere, si ipsi concederetur, mihiq; suis faucibus nocere, quantum posset: sed non potuit, nec id illi DEUS permisit. Nihil non egit, me sic persequendo, quod agere poterat, ac ipsi permittebatur. Interdum parum curabam, quid faceret; aliās verò mihi incutiebat quasi timorem ac metū, quando ambulabam per plateas; subinde etiam ridebam, videndo qualia moliretur ad me perturbandam suis terculamentis, eum non posset amplius efficere, siquidem illi non concedebatur à DEO. Et quando egrediebar domo, præsertim ad exequendum officium mihi à DEO demandatum, faciebat, ut bestię transeuntes plateam, in me incurrerent, quamvis procul à me incederent, & longē extra viam, meque præcipitarent, & præcipitatam calcarent pedibus, itā ut ij, qui id videbant, mirarentur, ac obstupescerent, quomodo me DEUS liberavisset, neque mihi nocuisset, aut quidquam damni intulisset bestia. Ego verò itā absque dolore, turbatione, & omni nocumento surgebam, ac si illa bestia fuisset avis, quæ super me volavisset.

Aliā vice asinus, quo quidam vheba-

tur, valde procul à me, penitusque diversā viā, eā relicta, absq; ulla occasione, tetendit rectā ad me. Is autem qui illi insidebat, animadvertens eam insolentiam bestię, & quòd contra me progredieretur, incepit ipsam acriter fustigare, ac magno labore illam conabatur detinere, nè me præcipitaret, mihiq; noceret; sed quidquid ageret, operam perdebat, quoad usque perveniret ad me, itā ut pene in me incurreret. Ego, utpote non ignara illius secreti, dum viderem malè haberi miseram bestiolam, culpæ expertem, magnopere dolebam, dicebamque intrā me: Relinque istam pauperem bestiolam, quæ est innocens; noli eam vexare. Aliās, boves juncti currui, rectā ad me procurrerunt, dum pergerent per quandam plateam, & ego retrocessi ad ingens ac altum saxum, quod erat in ingressu plateæ, ut evitarem boves, ipsi verò nihilominus, frustra conante aurigā id impedire, me versūs festinaverunt, & nullo mihi illato damno, raptaverunt currum per saxum, quod erat altum instar grandis cujuspian cistæ, atque in descensu fuit adeò concussus currus, ut videretur in frusta contractus. In hujusmodi occasionibus protegebar à Sancto meo Angelo Custode, qui me aliquando, id quod vidi oculis meæ animæ, eripuit ex pedibus equi itā currentis, ut illum non posset is, qui eò vhebeatur, cohibere.

§. II.

Sed his minimè contentus dæmon, conatus est aliud suo desiderio convenientius & aptius reperire medium, utendo meā meticulosā ac miserabili naturā. Diabolus enim semper nititur, dum potest, suo adaptare proposito cujusvis naturam, ad perficienda commodius sua perversa opera. Itaque ut sui fieret voti compos, is ipse dæmon (quod mihi postea fuit dictū) qui me sequutus fuerat per plateam, in specie & forma lupi, adivit aliquando illum Religiosum, quo tum conscientię arbitro utebar ad Sancti Dominici, & sub prætextu apparentis boni ac prudentię, ipsi ingessit apprehensionem, ut existimaret se quam optimè & conformiter regulis rationis ac

San-

§. III.

Post aliquot dies denud Marina confitebatur Patribus Societatis, ubi rem contulisset cum Domino DEO, sed non propterea perdidit affectum, quo ferebatur erga Religionem Sancti Dominici, nec destitit conversari cum eiusdem Ordinis Religiosis, praesertim postquam affixa fuit lecto, quod brevi evenit. Sicut enim Sanctus iste Patriarcha adeo amanter ac familiariter illam invisibat, & cum ipsa agebat, quemadmodum apparebit in libro quarto, ita inspirabat suis filijs, ut eam inviserent, & cum illa conferrent de rebus pijs, concernentibus suum spiritum: atque progressu temporis, cum ego propter meas continuas infirmitates ac debilitates illam non possem convenire, ut ipsam confitentem audirem tam frequenter, quam illa desiderabat, ad supplendum hunc defectum, assumpsit secundum Confessarium ex dicto Ordine, qui fuit Pater Frater Andreas de Ponte Frater meus germanus, solitus ipsam adire ad excipiendam illius confessionem loco mei, ut est dictum in Introductione. Denique postquam ex Divina inspiratione rediit ad Societatem, non cessavit deinceps etiam agere cum proximis, & ad hoc ipsam animabat Noster Pater Sanctus Ignatius, dicendo illi: equum esse, ut cum gloriatur se

esse Filiam Societatis, cuius institutum est juvare animas, se excitet ad illas juvandas, juxta donum sibi à DEO datum: quod fecit magno zelo toto eo tempore, quo valebat pedibus, atque etiam, quando egrom decumbebat, ut videbitur in libro quinto. Tantum advertendum est, illam fuisse magis propensam, habuisseque majorem gratiam, ad juvandas personas Religiosas, & rebus spiritualibus deditas, ut ipsas incitaret ad fervorem orationis. Libenter quoque adibat Moniales, praeibitum illis ea in re auxilium: quod tanti fecit Beatissima Virgo, ut ipsi dicuntur veritatem, que sunt relata capite quinto. Christus etiã Dominus dignatus est uti ipsius operã, pro adducendis in Hispaniam Monialibus Sanctæ Birgitæ, instruendo illas, quomodo deberet moderari illarum Constitutiones, conferendoque ipsi mysticè earundem habitum.

Et quia charitas exorditur à suis, ac à domesticis, eam ipsa demonstravit, dum per illius industriam sunt Religionem ingressæ quinque nepotes amitina teneræ aetatis, ac admodum inopes, prætereaque aliæ quinque famula seu socia; & ex his fuerit vctò, quibus illa procuravit elemosinas sufficientes pro dote, vel obtinuit, ut susciperentur ex gratia. Hec omnia isto loco insinuavi, quod corã fiat subinde mentio in sequentibus libri.

CAPUT XXV.

Quomodo ipsi DEUS mysticè immutaverit cor, posueritque in illo istam epigraphen: *Hic hospitatur JESUS,* deque alijs specialibus favoribus.

Hoc eodem anno, quo Marina ætatis suæ attigerat quintum supra quadragesimum, DEUS illi contulit multas novas & insignes gratias, ut in sua perficeret servitio, quam sibi desponsaverat. Sic igitur ait:

§. I.

Ardebat aliquando mea anima vehementer Amore DEI, ac nihilominus

habebat profundissimam cognitionem sui ipsius, dolendo summo opere de suis miserijs, & existimando se in illis esse inveteratam. Cum isto affectu repetebat sæpe illum versum Davidis: *Cor mundum creavit me DEUS, & spiritum rectum innovavit in visceribus meis.* Hoc per aliquot dies animo versans, agebam, inquit, quodam die mane collecta cum DEO, ac tum sensi miserabile corpus esse quasi derelictum à corde, neque posse præstare consueta opera, eò quod pro ijs peragendis esset destitutum instru-

instrumento cordis, à quo illi communicatur vita. Stupens hanc novitatem, contractavi manu sinistrum latus, ut experiret, an sentirem cor: quo non percepto, sicut solebam, magis fui mirata, & volens assumere animum, meque erigere vix poteram. Converti me ad DEUM, rogando ipsum, ut ab eo confortata surgerem, neque mihi Divina Majestas, pro sua clementia, defuit. Surrexi trahendo miserabile corpus, quasi vacuum ac derelictum à corde. Ita exegi biduum vel triduum, quo dicebam meo Confessario, cum illi rem istam referrem: Pater, ego careo corde; unde mihi videbar vivere miraculose. Post hos dies agens cum DEO, amansque ipsum ex tota anima mea, ac desiderans ipsi placere in omnibus meis operibus, vidi adeste Christum Dominum, qui coniecit suos Divinos oculos in me miserabilem, inuens me amanter & blandè, ac indicans, velle se mihi præstare aliquam gratiam. Hæc visio attulit meæ animæ ingens solatium, & specialem cognitionem Divinæ ac infinitæ Naturæ, illius Domini, non absque magna veneratione, quâ suspiciebam ipsius Majestatem. Et cum illum ita intuerer ac venerer, aspexi sacratissimas illius manus, ac vidi, quod in ijs teneret quoddam cor, & illuminata à Domino, cognovi esse meum; quocirca attonita cum ardentissimo desiderio, ut Dominus me mihi ipsi eriperet, ac destrueret illud miserum cor, quod in suis sacratissimis manibus tenebat, incepti illi dicere, quod frequenter cum magno fervore iterabam: Annihila, mi Domine, per tuam Bonitatem istud miserabile cor, quod est adeo plenum vitij ac miserij; destrue illud, & fac, ut sit conforme tuæ sanctæ voluntati & beneplacito. Dominus autem me aspiciens, & audiens quid dicerem, versabat idem cor sacratis suis manibus, in iisque movebat. Et quando hoc vidi à Divina Majestate fieri, instabam ac dicebam illi: Ah, ah, mi Domine, & Bonum meum, hic in medio procul dubio later malum, aufer illud Domine, ac destrue, per tuam Bonitatem. Hunc in modum Divina Majestas aliquamdiu versavit dictum cor

intra suas manus, dixitq; mihi: Esne modo contenta? & accedens ad me miserabilem, imposuit mihi illud in meum pectus, in conspectu oculorum meæ animæ, quæ tunc admirabilem patiebatur ecstasim: atque in eo ipso momento, quo id Dominus fecit, corpus sensit effectus cordis, resumpto vigore ac viribus, & Divina Majestas desijt videri, confortato meo spiritu, ac abundè confoto eo igne, quem in illo succenderat, ut absumerer ipsius amore, qui tantus erat, ut pro illo restinguendo opus fuerit hac tantâ & tam speciali gratiâ.

§. II.

Sed eadem gratia est progressa ulterius: Quia postquam mundata fuit domus cordis, opus erat, ex sententia Sancti Augustini, aliquo hospite, qui illam novo modo inhabitaret, ut ipsam ditaret, ac perficeret: Post aliquod deinde tempus, dum quodam die, inquit, in meâ collectione, peteré à DEO quam instantissimè, & ex intimo meæ animæ, ut in illa nihil reperiretur dispiciens Divinis ipsius oculis, neque in corde meo remaneret quidquam aliud, imò ne vestigium ullius alterius rei, quàm Divina Majestas, & ejus beneplacitum, ita ut illi verissimè possent inscribi hæc verba: Hic non est pro ullo alio locus, quàm pro DEO, & pro ipsius sancta voluntate. Vel: hic non hospitatur alius, neq; alius imperat, quàm DEUS, & ipsius sanctissima Voluntas: quibus & alijs ejusmodi verbis declarabam desiderium, quod habebam, dedicandi me totam DEO. Postridie vidi Christum Dominum, adstante etiam Angelo meo Custode, & præferente ingens gaudium. Aspexit me Divina Majestas cum sua solita charitate, penetrando intimum cordis mei, cumque viderem, quod factò initio, in superiore illius parte, ac tum per latitudinem deorsum progrediendo, & ad eisdem usque extremitatem exararet in ipso epigraphen, quæ erat hujusmodi: Hic hospitatur JESUS: sensi aliquem dolorem, tum subito adfuit Sacratissima Virgo Domina nostra, comitantibus ipsam Sanctis duobus Patriarchis, Sancto Dominico, ac

Sancto Patre Nostro Ignatio: & presente Domino, qui adhuc aderat, me sigillatim salutaverunt, mihi que sunt gratulati hospitem, quem habebam in meo corde; sed Sanctus Pater Noster Ignatius, ut qui tantâ devotione coluit dulce nomen JESU, gloriatusque semper est, ipsum secum habitare, primas sibi in eo alloquio assumpsit, dicendo mihi quàm amœnissimè: Amica, & Filia mea, gratulor tibi hospite; frui illo nunc, & in æternum. Sanctus meus quoque Angelus Custos meritò fuit lætissimus, erat enim magna ipsius gloria, agere Custodem cordis, quod incoleret ipse JESUS. *Læter namque maneat in justis per gratiam, in corde tamen hujus sue famula manebat per gratiã specialem, quod insignivit tali inscriptione, qua terrefaceret demones, ac impediret, ne in illud ingrederetur quidquam indignum tam præcelsò Hospite.*

§. III.

Sed quia Hospes usque adeò libentis, dives ac potens non potest non ditare cor, quod incolit; audiamus, quid egerit in isto, quod in suam habitationem elegerat, post multos dies à prestita illi ea gratia, qua est exposita, quemadmodum ipsa his refert verbis: Senterat mea anima multis mensibus novã quãdam & præter morem ardentia desideria, ut quantum posset, DEUM suum ac Dominum possideret, expedita ac libera ab omnibus creaturis, & passionibus suis ac defectibus. Diligebam illum etiam ex intimo corde meo & medullitus, quæ dilectio erat fortis ut mors, ex quo interno igne se diffundebat ac propagabat ad omnia corporis membra calor quidã, & ignis ejusmodi, ut viderentur conflagrare, & consumi. Habebam pariter in illa meã animã abyssò cognitionem mei ipsius, ut mihi continuo viderer esse affixa cruci, propter memoriam ac representationem, itã vivacem, sicut illam DEUS novit, ac potest in ea depingere, omnium meã animã miseriarum ac defectuum, non absq; extraordinaria afflictione ac dolore, quòd sit tam exosa Divinã Majestati, dum non servit tanto Domino, neque ipsum amat,

sicut ille meretur, & miserabilis creatura debet ac obligatur. Optabam quoque summè, & postulabam à DEO ex intimo corde gratiam ipsius & opem, ad eum amandum, serviendumque illi, propterea solum quòd sit is, qui est, & id mereatur, sitque omni dignus gloriã & laude: atque hoc modo illi supplex commendabam cò-mune bonum Ecclesiã Catholicã, Animas Purgatorij, & necessitates omnium fidelium, atque specialiter conservationem & incrementum omnium Religionum in majore DEI obsequio. Cùm autem anima mea sic esset constituta, & interesset Sacrificio Missã, dixi ad DEUM cum ardentissimo affectu: DEUS mi, ac bonũ meum, miserere mei, & concede mihi, ut te solum amem, præbe Domine, per temeripsum, elemosynam huic pauperi ac miserabili; da mihi Domine, vel unicum, tuum tertium, quia & isto ero contenta, ac dilabor quàm maximè. Hoc dicto, vidi Dominum juxta me, qui mihi cum tenerrimo amore dixit: Quid petis, Amica? dabo tibi, quod postulas; sed noveris, meum modicum esse multum, esse infinitum, esse totum, quod ego sum. Visne hoc? Itã, hoc vis; ego scio, & hoc petis. Extendensque suam sacratissimam manum dixit: Accipe, Amica mea, quod petis. Et cùm aspicerem sacratissimam manum Domini, vidi quòd in illa teneret pretiosissimum ac elegantissimum nummum aureum; quem ubi fuissim cum attentione, stupore, ac reverentiã intuita, vidi designata Divinè ac mysticè in ipso esse & expressa merita Christi Domini, quorum ea moneta & sculptura omnem representabat virtutem ac valorem. Quod ego non parum admirata, tergiversabar acceptare tantum donum. Sed Dominus iterum dixit: Accipe, Amica, hoc donum ex mea manu, & custodi illud in archivo tui cordis. Tum ego considerans, quis in meo corde foret ille locus, qui à Domino appellaretur archivum, vidi intrã me ipsam amplam quãdam viam, quæ tendebat ad cor, in eoque desinebat, & erat tecta quasi quibusdam glebis terræ, ac fruticetis, quibus cor videbatur quodammodo cooperiri.

ri. Obstupefacta & confusissima propter hanc visionem, dixi Domino: Quid est hoc, Bonum meum, ac Domine mi? Suntne fortè istimet mei defectus, & iniquitates mei cordis? Nequaquam, respondit mihi tunc Divina Majestas: sed vidi admirandū in modum paulatim patefieri, & aperiri à summitate usque deorsum meum cor: cūmq; aspicerem, iubente Domino, quid esset intus, vidi illud esse pulcherrimum, & habere colorem vivacissimi rubini, atq; intus in ipsius medio efformatam & expressam literis purissimè aureis, illam arcanam epigraphen, tribus descriptam lineolis (cujus jam facta est mentio) videlicet: *Hic hospitatur JESUS*: unaque admiranda dona, quibus in decursu meæ vitæ gratiosè fueram cumulata à DEO. Cū deinde id considerans essem mihi met crepta, denuò mihi dixit Dominus: Accipe, Amica mea, ex mea manu hoc donum, quod tibi ego do; oblatumque ità meæ animæ, & cordi, ibidem reliquit, ac posuit. Tum anima acceptavit illud Divinum donum, jubente Domino, cum quàm maxima reverentia; atque per hanc misericordiam est repleta solatio, & confortata, ac unita

cum suo DEO, qui respondens meæ cogitationi, quam habueram de illa via, quæ plena erat terrâ, mihi dixit: Dic Amica, ubi nascitur, & custoditur, & conservatur aurum purissimum, quod est omniū præstantissimum, & gemmæ pretiosæ, nisi in mineris terræ, & conchis marinis? Ecce, ità conservatur & custoditur perfectus amor DEI, & virtutes, in cineribus & glebis defectuum, ac fragilitatum naturalium, id quod ego providè dispono, meâ potentia, quæ hoc ità efficere potest: & ista est via, quam vidisti. Quo dicto, ponens super me suam sacratissimam manum, dixit: Amica mea, vale. Ego tunc provoluta ad ipsius sacratissimos pedes, dixi: Non, non, Domine, hoc non: quia re verâ te non patiar abire; mecum te oportet manere, & me tecum, per tuam gratiam, in æternum. Dominus autem mihi respondit: non, quemadmodum merebatur mea temeritas, sed secundum suam infinitam bonitatem: sit ità, sicut dicis; & fui statim rapta in ecstasim. *Tota hac visio abundat præclaris monitis, quæ brevitas causâ omitto, & facile erit ex ea elicere.*

☉)**(☉)

CAPUT XXVI.

Quomodo illam DEUS corroboraverit tribus gradibus perfectæ patientiæ, pro terribilibus cruciatibus ac tormentis, quæ per reliquam vitam sustinuit.

Per idem tempus inchoavit novo modo continuum statum admirandæ patientiæ, exercitæ in tolemandis horrendis afflictionibus ac doloribus, quæ appresso quodammodo sigillo confirmat sanctitatem. Habet hæc virtus tres gradus, quorum alius est alio excellentior. Primus est, sustinere molestias æquo animo, sine querelis vel murmurationibus, cohibito murmure, qui propter illas naturaliter oboritur. Secundus est, optare ex animo afflictiones, quemadmodum alij exoptant consolationes, ob magnam illarum estimationem. Sed quia ipsis ingruentibus

solent intepescere desideria, & crescere timores ac tædia, tertius est, gaudere in erumnis, & exultare gloriando (sicut ait Apostolus) in cruce Christi, & in tribulationibus, amore illius tolerantis. In his tribus patientiæ gradibus excelluit Marina de Escobar, inter omnis generis afflictiones, quas sustinuit, ascendendo ex uno ad alium, sed non semper paritione. Quandoquidem tener ac suavis, & fervens DEI amor, illi interdum eam injiciebat aviditatem tolerandarum afflictionum, ut quidquid pateretur, ipsi videretur modicum, aut nihil, tametsi re verâ esset multum, diceretque quàm cupidissimè ad DEUM: Nemone reperietur, qui castiget hanc beatissimam?

ftiam? *Et: Oportet me habere manus ligatas, nē faciam, quod vellem. Atq; aliās illi dixit: Mi Domine, & meum Bonum, ēstne possibile, quōd mihi nihil sit pro te patiendum? Verūm Dominus mihi respondit: Itā, pateris, sed non sentis. Illa verō nihilominus replicabat inquiens: Aliquando mihi Tua Majestas dixit: Quid à me petivisti, quod tibi non concesserim? quomodo ergo mihi non das, quod à te peto, dum tantopere desidero, pro te pati? Et aliā vice illi dixit, petens ab eo afflictiones: quōd, si ipse aliquid ab ea peteret, datum illi esset statim, quā promptissimē, etiam universa, qua existunt in caelo & terra, si essent ipsius. Dominus autem illi respondit: Nunquid ego tibi jam non concedo, quod à me petis? Et cū ei insignem contulisset gratiam, ut esset illi quā conjunctissima, nesciens quomodo se ipsi posset exhibere gratiam, rogavit illum, ut sibi aliquem daret, qui se excruciatet, tametsi esset diabolus. Hunc in modum manifestabat sua ardentia desideria patiendi, quāmq; id illi esset gratum, ut constat ex suprà dictis.*

§. I.

Sed quia fervor iste sensibilis, quando est usque aded vehemens, facit, ut non sentiantur afflictiones, solet illum DEUS subtrahere suis electis, cujus loco ipsi dabit magnum ac heroicum desiderium patiendi, ut superiore parte spiritus vinceret omnes carnis difficultates. Et hic modus desiderandi adfert gaudium quoddam ac solatium internum, nec non magnam tranquillitatem animae, sicut experta est haec famula DEI, quae de se dicit: Tanta est, ac tam immensa misericordia, bonitas & sapientia hujus magni DEI ac Domini nostri, ut ignorem, quomodo explicem, vel eloquar id, quod agit cum mea anima: quia licet permitteret, ut affligeretur, & continuē ac plurimum pateretur, aded ut nē momento careret afflictione, tamen etiam itā illam confortabat, ac tranquillabat, & quasi solabatur, reddebātque contentissimam omni eo, quod ipsius Majestas faciebat, & mittebat in illa fieri, ut in una eadēque anima invenirentur

duae res in speciem opposita, quas solus DEUS suā potentia, sapientia & bonitate potest efficere & componere, videlicet turbatio, & timor, afflictio, ac dolor maximus, & aliunde solatiū, ac summa confidentia erga DEUM, summūque desiderium patiendi, quidquid ille vellet, etque placeret, nec non magna conformitas cum sancta ipsius voluntate. Præterea vis hujus desiderij innititur estimationi patientia ac bonorum, quae adfert, quā DEUS ingenerat: unde, quantum ipsa experiebatur, dicebat, per crucem operari DEUM in anima bene disposita mirabiles effectus, humilitatis & cognitionis propria, ac Amoris DEI, nec non Divini luminis, ut cognoscatur magnus amor, quo nos amat, & sollicitudo ac providentia, quam habet, ut dirigat omnia nostra opera ad majus bonum, ac profectum animarum nostrarum, itā ut nos possimus excitare ad patiendum eo, quod dixit Sanctus Paulus: Nos oportet gloriari in Cruce Domini Nostri JESU Christi. Quia ingentia bona, quae Sanctus Apostolus in illa reperit, ac tam diversimodē est expertus, fecerunt, ut sic loqueretur, & quasi fieret sui impositus, ut invitaret omnes ad istam gloriam, & bona Crucis. Tandem ait: Cū aliquando dixissem, non esse, cur manifestentur Confessario afflictiones, dolores, ac infirmitates, quas patiebar; respondit mihi Dominus; nescire me, quid dicerem: finem enim suarum gratiarum, mihi à se præstitarum, esse, ut paterer, quod patiebar, & omnibus absolutas numeris gratias ac favores, esse, multum pati, ideōque hoc esse præcipuum, quod deberem manifestare.

§ II.

Itā habebat dispositam Dominus Marinam, quando illi se spectandum præbuit, anno millesimo sexcentesimo tertio, quo attingent quinquagesimum nonum suae aetatis, cum inciperent majores ipsius cruciatus, ut illam bene pro his præpararet. Obiit illius Confessarius, Pater Petrus de Leon, vir verē Sanctus, & qui illius cum gerebat amore sanē paterno, non tantum quoad spiritualia, sed præterea etiam quoad temporalia, quorum patiebat penuriam. Sensit ejus mor-

tem tenere, & magis quam sentire potuisset
jacturam cujuscunque rei in mundo: tulit
illā tamen cum magna sue voluntatis trans-
fusione in voluntatem DEI, qui ipsam eo-
dē die est plurimum solatus: intellecto nam-
que ejus obitu, eō quoddam audiuisset repetito,
per intervalla, pulsū sonantem campanam.
Domus Professæ, ibat ad Collegium Sancti
Ambrosij, ubi ego morabar: vixdum autem
egressa ē sua domo, vidit Angelos ferentes a-
nimam Sancti Patris ad cælum: quo specta-
culo fuit vehementer exhalantia, ac paulo
post illi est ostensus locus, quem ibi obtineret.
Viditque ipsius animam tam candidam &
puram, quam si nullo unquam fuisset leshali
peccato contaminata: gloria verò, quā per-
fruebatur, erat ea, quam fuerat assecutus suis
bonis operibus, & laude dignis laboribus, to-
lentis absque repugnantia, & impedimen-
tis, cum quibus illam alij Sancti promerue-
runt, vincendo difficultates, ac decertando
cum hostibus: fuerat enim preeditus naturali
quadam mansuetudine, affabilitate, ac sua-
vitate, ut videretur omnino carere passi-
onibus.

Postquam rediisset domum, accidit illi, ut
inter orandum videret id, quod sequitur:
Dum die Commemorationis omnium fide-
lium defunctorum manē, mea anima
agens cum DEO, majorem in modum læ-
taretur, quod Divina Majestas mihi digna-
ta fuisset præbere occasionem, ut ipsi of-
ferrem libenter & fortiter summum, quod
illi poteram offerre, & susceperam ex ejus
manu, utpote meum Confessarium, & Pa-
trem Spiritualem Patrē Petrum de Leon,
qui eo die ex hac vita migraverat, anno
1603 (Cæterum enim mihi DEUS eam
ex mera sua bonitate & clementia præstite-
rat gratiam, ut quidquid non est Divina
Majestas, conculcarem pedibus) itā,
gaudens dicebam DEO, quantum
boni mihi Divina Majestas contulisset,
quantasque ipsi agerem gratias, pro tanto
beneficio, eō quod mihi fidisset, ac obtu-
lisset illam non exiguam crucem, relin-
quendo me quasi solam, dependentē tan-
tum ab ipso. Interea conplexi Christum
Dominum, stipatum sanctis Angelis, cum
magna majestate ac pompa. Ferebat verò,

tum ipse, tum quisq; Sanctorum, crucem
ex collo pendulam, quæ erat ex purissimo
auro, ita ut videretur agi Festum Crucis.
Statim autem ac mihi Dominus exhibuit
hoc mysterium, relicto ipso, confugi ad
DEUM, postulando ab eo (sicut semper
soleo) sanctum ipsius lumen, ut nè aberrarem
ab illius veritatibus, ac sancta volun-
tate. Post hoc mihi dixit Dominus cum
tenerrimo amore: Quid est, Amica? quasi
diceret: Unde venis? Deinde addidit Di-
vina Majestas: Dic, agē, visne hodie apud
me agere hospitem? visne mecum cibum
fumere? Ego indigna tantā gratiā, hoc au-
dito, erubui quā maximē, ac filii. Sed
Majestas gravissimi illius Domini, animad-
versā meā verecundiā, applicuit suam san-
ctam manum suo sacro pectori, dixitque
quā amantissimē: Mecum, mecum, te
volo cibum fumere, Amica. Tum videns
esse eam voluntatem DEI, dixi me liben-
ter velle; & fuit subito, jubente Domino,
crux meo collo appensa, à duobus sanctis
Angelis; alios autem vidi magnā diligen-
tiā preparantes in loco, ubi postea com-
municavi, in templo Societatis, opiparam
mensam, præsentē Domino. Semper au-
tem assistebant cum magna reverentia
Sancti Angeli Crucigeri, quos vidi combi-
nantes ac texentes floridissimam & elegan-
tissimam coronam, quam intellexi parari
pro me, quæ non eram promerita istam
gratiam. Mea igitur anima videns hæc
mysteria & miracula, erat abrepta, & stu-
pebat nesciens, neque intelligens, quid a-
geretur. Tum mihi id manifestavit Do-
minus, dixitque: Pervenisti jam, Amica,
ad promerendam coronam Crucis, quam
tibi obtuli: quia postquam superavisti duos
perfectæ patientiæ gradus, qui sunt, ferre
patienter tribulationes & crucem, atque
etiam illam desiderare amore mei, con-
scendisti tertium, qui est, gaudere in illis:
ideoque tibi dabitur, & imponetur hæc
pretiosa corona, quæ pro te facta est, & hinc
mysticē efformata. Quia verò principium
& causa valoris, quem illa crux habebat,
unāque omnium bonorum, quæ obtin-
gunt quibuslibet creaturis, fuerant merita
meæ Crucis, per quam, & in qua habent
valorem,

valorem, ac pretium cæteræ propter me toleratæ, idcirco meritò hoc festum potest appellari Festum Crucis: ad quod significandum volui, ut ego, ac tu, unaque mei Angeli in hoc Festo assumeremus insignem ac tesseram Crucis. Deinde præcepit Angelis, qui ordinariè opem ferunt meæ debilitati, ut me erigerent; quod ipsi subito præstiterunt, modicum me adlaborante, sicut aliàs, ut poteram. Tum me contuli ad templum, ubi paulò antè, quàm accesset tempus sumendi Christi Domini, vidi sacram mensam, de qua sum loquuta, cui assistebant reverenter Angeli. Verùm ego peccatrix, propter ecstasim, quam mea anima patiebatur in ea visione, quando mihi erat eundè ad suscipiendum Dominum, me non potui movere, ideòque venerunt Sancti Angeli ad me juvandum, & accessi ad altare; ubi dum Sacerdos cum sanctissima hostia conversus ad populum diceret: ECCE AGNUS DEI, contempsi Christum Dominum assidentem illi opiparæ mensæ, cum quibusdam ex illis Angelis, qui erant instar convivarum, alijs reverenter assistentibus ac ministrantibus supremo illi Domino; quos ipse etiam invitavit ad mensam, deditque illis cibum tam mysticum ac Divinum, ut nulla lingua possit eloqui, vel explicare ipsius præstantiam ac bona, quæ in eo reperiuntur, siquidem ipsemet DEUS se in illa mensa præbebat sumendum, quod ego stupebam. Interea verò quando Sacerdos venit ad me cum sanctissima Hostia, quod ego vix potui advertere, cum essem adeò abrepta, extendit Christus Dominus suam sacratissimam manum, deditque mihi illum Divinum cibum ac bolum, quem mysticè sumebam, & quo alebat ac sustentabat illos beatos spiritus, quibus ipsum porrigebat, & communicabat; ac tum Dominus circumdatus ab ijs Angelis, qui illù honorabant, ac adorabant, coniectis in me oculis, surrexit: & sic fuit finitum illud mysterium.

§. III.

Sed jurat ponderare præcipuum mysteriū

ac secretum, quod convivium usque adeò beatum significabat, per insignia crucis: hac enim ipsi in super indicabant conjunctionem eximiarum gratiarum, cum magnis doloribus, quos tunc novo modo incipiebat tolerare. Siquidem postquam esset jam armata hæc patientiâ, incepit DEUS satisfacere illius desiderijs, exercendo ipsam diversimodis doloribus, cruciatibus ac tormentis, partim per se ipsum, & per suos sanctos Angelos, partim per demones effrenatos ipsius hostes, concessit ijs idcirco majori facultate, adeò ut illius cubicellum, quod propè continuè infirma ac lecto affixa inhabitavit ultra viginti annos, etiamsi inde quidem esset quasi paradysus deliciarum caelestium, & adumbrata quadam beatitudo instar calis empyrei, eò quod in eo semper reperirentur Angeli vel Sancti, qui veniebant ad illam invisendam, cum supremo Rege vel Regina Univerforum; aliunde tamen fuerit instar angusti & luctuosi carceris, ac velut theatrum, & locus supplicij, ubi nunquam deerant cruce, unci, sagitta, ignes, bestia, & alia instrumenta, pro ipsa excarnificanda. Quamvis autem id fieret per species & representationes, quas Angeli boni & mali spiritualiter imprimebant ipsius animæ: tamen adeò alterabant, & perturbabant humores, ut gravissimis afficerent corpus doloribus. Propterea sancti Angeli sepe illam appellaverunt martyrem Domini: cui appellationi conforme est, quod ipsa narrat in hæc verba:

Dum quadam die ita essem doloribus oppressa, ut mihi videretur dolere, cor, haberèque me putarem intrà corpus quodpiam vivens, à quo exederetur: apparuit mihi Sanctissima Virgo, & cum magna commiseratione mihi dixit: Soror, quid habes, quòd sis adeò afflicta? Domina mea animæ meæ, agebam ego, videor mihi habere intrà corpus aliquod vivens, quod mihi cor exedit; si tibi placet, exime illud inde. Sanctissima Virgo respondit: Non habes, soror, non est hoc: sed est gladius doloris, qui tuum cor penetrat. Cui ego: Quomodo ergo, Domina mea, si habeo in corde meo Dominum, & hospitatur in illo JESUS, sicut mihi fuit dictum:

dictum; & ego scio, potest in ipso esse gladius, qui illud pertranseat? Ità foror (dixit sanctissima Virgo) hoc minimè repugnat, imò ubi hospitatur JESUS, ibi quod est Crux; & filius meus illam habuit toto tempore, quo vixit in mundo: atque

ego similiter, ex quo eum genui, illà nunquam carui: quæ fuit tanta, ut vos non possitis scire, aut cognoscere ipsius gravitatem. *Veritas hujus responsi apparebit ex ijs, quæ incipiemus referre in sequentibus capitibus.*

✽✽✽

CAPUT XXVII.

Quomodo DEUS cordi ipsius inferuerit internam crucem, & capiti coronam spineam, similiterque vulneraverit illius manus, pedes, ac latus.



Ubi finem ejusdem anni, quo quadragesimum quintum suæ ætatis numebat, in festis Natiuitatis, & Circumcisionis, anno 1599. & millesimo, sexcentesimo, Dominus jecit fundamenta pro continuis exercitijs suscipiendorum ingentium dolorum, ac terribilium afflictionum, quibus ipsam decreverat probare ac perficere, imprimendo illi internè, ità ut non adverterentur exteriùs insignia suæ passionis, cum magno dolore, & modo admirabilissimo, quem, ut pote extrordinarium, descripsit fusiùs, aperiendo se Confessarijs, hac intione.

§. I.

Tantus est amor, quo DEUS profectur suas creaturas, ac tam sublimia sunt opera, & incomprehensibilia iudicia ipsius Sapientia, quæ in illis operatur, ut me reddant attonitam, ac obstupesciant, neque illa possim intellectu percipere, vel verbis explicare; adeoque ex magnitudine ipsius operum, quæ peragit in ista sua vilissima creatura, & contempribilissima omnium, quas habet Divina ejus Majestas, id solum mihi remanet, quod ipse mihi relinquit, atque etiam liberaliter donat; & est clarissima cognitio magnæ meæ miseræ, quàmque nihil valeam ac possim; siquidem per talia opera & gratias non proficio, neque scio mandare executioni, vehementia placendi ipsi ac servitendi desideria, quæ Divina Majestas indi-

dit meæ animæ. Ut omnes videant quàm id mihi meritò esset faciendum, & quàm firmus omnes obligati idcirco honorare ac amare hunc Dominum nostrum, qui talia in nobis operatur, illique servire omnibus viribus nostris, referam, quod mihi his diebus accidit. Quia etiamsi hæc opera sint in singulis diversa, adeò tamen bene cuique conveniunt, suntque ità accommodata, ac proportionata cujuslibet indigentia ac genio, ut nulla alia possint cuiquam melius congruere, atque adaptari singulorum necessitati, ac aptitudini. Atque ità, ea quæ Divina Majestas operatur in quolibet, sunt ejusmodi, quæ unusquisque debet velle & desiderare, ac æstimare, & quibuscum tenetur amare, honorare, ac revereri hunc Dominum; eadem siquidem bona vult hac viâ ipsius animæ, quæ aliâ viâ alteri.

Postquam igitur mihi DEUS indidisset ingens desiderium amore sui aliquid patiendo, ex doloribus, quos ipse pertulit in Cruce; aliquando manè collecta more solito, vidi Christum Dominum, cujus aspectu mea anima fuit vehementer recreata, & aspiciebam illum cum omni reverentia, quâ poteram. Intercà mihi dixit Divina Majestas: Volo tibi aliquid dare, quod te plurimum consolabitur, ac recreabit. Expectavi modicum, ut viderem, quid mihi Divina Majestas vellet dare; & paulò post conplexi in sacratissima manu Christi JESU Domini Nostri crucem elegantissimâ ac pretiosissimâ, cujus magnitudo & longitudo adæquabat spithamam. Et monstrando mihi ipsam Divina Majestas, dixit ad

Q₂

ad

ad me: Visne hanc tam elegantem crucem? Tum ego illam sum contemplata diutissime, & placuit mihi summopere, dixique quam promptissime & cupidissime, ut eam mihi Divina Majestas daret: Ita, Domine. Divina verò Majestas subjunxit: Sit ita, licet, dabo illam isti tuo Angelo Custodi, ut tibi ipsam afferret. At ego dixi: Hoc non, Domine. Nolo, si tu id jubes, ut illam des, aut tradas ulli alteri, quam mihi. Et Dominus: Dic ergo, ajebat, ubi tibi eam velis poni? Respondi: Hic Domine, supra meum cor. Accessitque Divina ipsius Majestas, & posuit mihi illam supra cor, ibique reliquit. Et quando mihi ipsam imposuit, sensi dolorem, qui adeo penetrabat animam, ut præ illius vehementia diu gemerem ac suspirarem: percipiebam verò supra cor eum dolorem & molestiam ex Cruce, quam in ipso gerebam, ut illud frequenter manu attrerere, quia mihi videbatur non posse fieri, quin illam sentirem exterius. Nesciebam, utrum cum eo dolore ac obstaculo crucis me possem vestire, & induere togam. Post hoc Dominus ostendens se mihi compati, discessit: & ego semper sentiebam crucem in corde, cum eadem afflictione ac dolore, licet quibusdam diebus amplius, quam alijs. Alio die placuit DEO, ut meam animam occuparet summus dolor, & cruciatus, unà cum profundissima cognitione, mei ipsius; quæ me ita affligebat & angebat, ut vix mihi viderer habere vires pro toleranda ea cruce, & sic magna ex parte fuerunt debilitatæ vires mei corporis.

§. II.

ELapsis aliquot diebus, atque biduo post Festum Circumcisionis, aliquando manè agens cum DEO, vidi Sanctissimum pterum JESUM, in brachijs suæ Sacratissimæ Matris, qui amplexabatur quandam elegantissimam & inauratâ Crucem, quæ circiter ulnæ habebat longitudinem. Dum autem illum cum ea cruce contemplerer, coepi tenerescere, & lacrymari, dicendo ipsi: Meum Bonum, & mi Domine, video, quòd ex hoc tempore am-

plectaris Crucem, quia cum esses infans octo dierum, incepisti profundere tuum pretiosum sanguinem pro nobis. Divina autem Majestas mihi dixit: Si ex eo tempore incepisti profundere sanguinem, quid tibi videtur? Aspiciebam diu Sanctissimū Puerum, & Sanctissimam ejus Matrem, cum tanto meæ animæ solatio, ut non possem ab illo avertere oculos; & timebā nē abiret, me non animadvertente. Cum me Sanctissimus infans videret ita aspicientem, dixit mihi: Noli timere, ut tam cito abeam; volo enim hic tecum manere, usque ad horam septimam; erat autem tunc quarta. Unā horā post, prius ex improvviso, & me non cogitante, quid Divina Majestas esset factura, vidi repente, nullo mihi à quoquam dicto verbo (quem admodum DEUS solet in similibus agere) fuisse impositam meo capiti coronam spineam, quæ mihi attulit dolorem ac afflictionem internam penitus insolitam, adeo redundantem in ipsum caput corporeum, ut illud non possem movere, nec vertere, neque inclinare, præ ingenti dolore, quem propter illas spinas sentiebam; & aliunde ita fui consternata his Divinæ Sapientiæ ac Bonitatis operibus, ut vix possem ad me redire. Paulò post mihi dixit Christus Dominus: Dic mihi, visne, ut etiam in tuis manibus imprimam vulnera? Dum hoc audirem dici à Divina Majestate, subito respondi quam determinatissime, ac dixi: Non Domine, non Domine: nullâ ratione volo, ut sic mecum agas, vel ut in me aliquid simile opereris, aut me in hoc similem reddas illis sanctis animabus, quæ excellentes præclarissimis virtutibus, tibi serviverunt, cum tanta vitæ perfectione. Idcirco destitit Divina Majestas, videns me ita repugnantem, nec mihi tunc voluit vim inferre; dixit mihi tamen: Propterea tibi nihil fuit dictum, quando tibi est imposita corona spinea, nē illius impositioni eodem modo resisteres. Hoc dicto, sanctissimus Puer JESUS mansit apud me satis diu, complectens suam Crucem, solo brachio sinistro, & in capite Crucis erat corona spinea coloris viridis. Tenebat illum sanctissima ipsius Mater in suis bra-

brachijs cum magna reverentia, & quando illum intuebatur suis sacratissimis & speciosis oculis, faciebat id quàm amabilissimè ac reverentissimè, & cum quadam coelesti modestia. Ego non poteram abstrahere oculos ab illo, & eram sollicita, ut viderem, quando esset abiturus. Sed ipse mihi dixit: Nè sis sollicita, neque te affligas, quia non abibo tam citò; necdum enim est executioni mandatum, quod mihi tecum est conficiendum. Atque paulò post Dominus in dicta specie parvuli, sed absque Cruce, quam priùs habuerat, ad me accersit quàm amantissimè, strinxitque me brachijs stantem cum omni mihi possibili reverentia, vestitam & coopertam velo, atque capite redimito coronâ spineâ, & vultu vehementer inflammato, nec non cum Cruce, quam mihi Dominus dederat, ac posuerat supra cor. Ex quibus omnibus fiebat, ut sentirem afflictionem & dolorem internum, quem novit Dominus, adeò ut mihi viderer quasi crucifixa; nec enim me poteram movere; videbámque me ipsam tam clarè, quàm si me intuerer in speculo clarissimo, & nitidissimo; & consternabar, videns me tam insolito modo constitutam.

§. III.

Completo hoc opere Dominus mihi valedicens desijt videri, & ego toto illo die ac nocte sensi afflictionem ac dolorem internum, de quo dixi. Interdum autem contrectabam caput manu, ut animadverterem, an aliquid fortè notaretur exterius de eo, quod sentiebam internè: contremiscebam enim ad ea, quæ comparant extrinsecus. Postea horâ septimâ noctis, cum essem more solito in mea collectione, postquam comparuissem coram Domino, dixit mihi Divina Majestas hæc verba: (quamvis me vehementer pudeat illa scribere) Filia mea, & Amica mea, plurimum mihi ita places, cum isto vestitu, & novis insignibus, quæ ego tibi dedi. Tum conjeci oculos in Divinam Majestatem, & mea anima, nullo à me ipsi dicto verbo incepit exardescere amore sui dulcissimi ac dilecti Domini, qui ipsam tam amanter,

talibus verbis fuerat alloquutus; cum sim indignissima, & miserabilissima omnium creaturarum. Postridie manè eadem horâ, quâ mihi pridie fuerat apposita illa corona, cum essem collecta, quemadmodum soleo, vidi eandem coronam, quam tanto cum dolore gestabam in capite, floruisse, ac produxisse quosdam flores elegantissimos, & gratiosissimos. Terrefacta, ac attonita illo prodigio, movi caput, ut experirer an sentirem illum dolorem, quem priùs; & adverti non esse tantum, nec talem, sed multò minorem, ac deinde me convertens ad Dominum, dixi illi: Mi Domine, quid est hoc? quales flores sunt isti, qui effloruerunt in ista corona spinea? Respondit mihi Divina Majestas: Isti sunt flores meritorum, quæ tibi doloribus, quos propter spinas hujus coronæ es passa, comparavisti; adeò ut, sicut ex corona spinea, quæ fuit imposita meo capiti, enati sunt tot ac tam Divini flores meritorum universo humano generi, & mihi; ita ex eo, quod pro te es merita, per dolorem & afflictionem, quam tibi corona hæc attulit, orti sunt hi flores, quos vides. Idem tibi etiam multum proderunt, teque recreabunt, ut non sentias tantum dolorem, ita enim ego statui, ut possis hac ratione durare, & conservare tuas modicas vires. Post tempus meæ collectionis, sensi magis sublevatum caput, & retinui in ipso illam floridam coronam spineam, nec non meâ Crucem infixam cordi. Placuit nihilominus Domino, suscitare in mea anima aliam internam crucem, quæ duravit biduo vel triduo, ortam per infinitam ipsius Sapientiam, ex profunda mei ipsius cognitione, quæ me vehementer affligebat. *De ista cruce jam actû est in capite quinto & sexto.*

§. IV.

ELapso uno, alteròve die ab eo, quod evenisse dictum est, dum manè agerem cum Domino, rursus mihi dixit: Visne consentire in id, quod tibi dixi nuper? visne, ut tuæ manus vulnerentur? Ego subito respondi, sicut primâ vice, valde definitè ac seriò: Non, Domine, nullo modo,

modo, nequaquam Domine; nec minima hujus rei facienda est mentio. Audivit Dominus, quod à me dicebatur cum illo firmo proposito, & siluit, neque mihi tum quidquam dixit: paulò post mihi denudò, cum quadam determinatione, quasi in me facturus, quod ipse vellet, dixit: Veni huc, visne, quod tibi dixi? atque tunc ego reposui: Non vellem Domine ullâ ratione; sed quia animadvertēbam decrevisse Dominum id facere, dixi illi teneriùs, & submissiùs, ac plurimùm dolens de eo, quod sua Majestas volebat peragere in isto miserabili & fragili limo: Quomodo verò Domine, debeo in rem hujusmodi consentire? Non, Domine, si ita jubes. Quo pacto enim, mi Domine, vis me miserabilem parem facere Sancto Francisco? Quis hoc toleret? dum id dicerem, timebam aliquantùm, nè propter tantam pertinaciã mihi responderet, ut sancto Petro, quando volebat permittere lavari sibi pedes. Verùm non ita mihi respondit, ex sua bonitate; & quia cognoscebat meam miseriam; sed demittendo suos sacratissimos oculos cum summa gravitate dixit: Tace modò, quia non intelligis, quid agam. Dum hoc Divina Majestas diceret, incipiebam sentire cruciatum ac dolorem internum in manibus: atque tunc incepti timere, advertendo & sentiendo illud tam singulare & extraordinarium opus DEI, & conquerebar Divinæ Majestati, dicendo ipsi: Quid facis, mi Domine? miserere mei miserabilis & maximæ peccatricis, doce me amare te, & quærere omnibus meis viribus, ac totâ animâ meâ: quia hoc unicum est, quod volo, & quæro. Post istam collectionem habui manus jam intrinsecus vulneratas, tametsi necdum esset completum illud opus, & fui usque adeò consternata ac attonita, propter illam tantam novitatem, ut mihi viderer non esse præsens. Optabam autem unicè dependere à Domino, invocando ipsum, & implorando semper ejus gratiam, ac auxilium, ut in omnibus illi placerem.

Postquam istud eo die accidisset, dum sequenti manè agerem cum DEO, more solito complevit ejusdem Majestas vulne-

rum impressionem, in istis miserabilibus manibus: quo tempore sentiebam ingentem in illis molestiam ac dolorem internum, & conquerebar vehementer Divinæ Majestati, ac timendo meam magnam miseriam, dicebam ut consideraret, me esse indignissimam tali opere, talique misericordiã, & me esse limum, ac vas fragile, non continens fideliter liquorem illi infusum; atq; reponere ipsum dona sua in meis manibus, esse idem, ac vas aliquod vitreum valde elegans & pretiosum committere manibus parvi infantis, ideòque me juvenet Divinæ Majestatis, meque respiceret oculis suæ misericordiæ, ut illi ita complacere, redderetur securior. Absoluto opere, quod Dominus peregit in meis miserabilibus manibus, retinui in medio illarum interna vulnera, quia in ea parte specialius sentiebantur, & sensi in ipsis prorsus singularem dolorem, & cruciatum, non solum internum, sed etiam externum; adeò ut ipsa caro præberet verum testimonium ejus, quod fiebat internè, & pellis ac volæ manuum evaderent, essentque tam sensitivæ ac delicatæ, ut interdum in quibusdam partibus tantopere prurirent, ut videretur indè erupturus sanguis, quod me multò magis consternabat, & obstupefaciebat, quàm primâ vice. Gratias interim agebam DEO pro omnibus ipsius admirandis operibus, eò quòd Divinæ Majestati placuisset, pro meo solatio facere, ut per signa adeò manifesta doloris, agnoscerem id, quod Divina Majestas in me internè operabatur.

§. V.

ALio die, tempore marutino, dum, sicut soleo, agerem cum DEO, incepti derepente sentire in pedibus illam molestiam ac dolorem, quem senseram in manibus, quando in illis Dominus impressit vulnera; & statim vidi, ac sensi, quod à Divina Majestate, jam in ipsis essent impressa vulnera, sicut in manibus, relictis ibi internis eorum signis. Postridie manè, dum similiter agerem cum Domino, complevit impressionem vulnerum in pedibus, in quibus habebam quædam inter-

na.

na foramina, quæ utrinque transibant pedes. Et quamvis statim exterior dolor non fuerit tantus, neque signa exteriora, qualia erant manuum; fuerunt tamen postea, erantque plantæ pedum tam sensitivæ, & pellis illarum tam tenera, ut non potuerim ipsis insistere sine molestia; quod semper durat, sicut in manibus. Post hoc subito incepi sentire dolorem in corde, & in latere sinistro, dixitque mihi Dominus quàm amantissimè: Quomodo tecum agitur? quomodo vales? Quando id audivi dici à Divina Majestate, fuit mea anima repleta quàm maximo ipsius amore, cum quo illi respondi: Quomodo valeam, dicis, meum Bonum, ac mi Domine? ut tibi obediam, faciâsque de me, quidquid volueris, tibi; visum fuerit. Paulò post circumspiciens oculis animæ, vidi utrumque meum latus stipari à quibusdam sanctis Angelis, mirum in modum speciosis, qui elevantes, ut mihi videbatur, hoc miserabile corpus, dicebant altâ voce, & cantando hæc verba (quæ cum magna mea mortificatione scribo, ac tantum refero, ut obediam DEO, & in hoc exequar ipsius voluntatem, atque ut cognoscantur opera Bonitatis ejus, & Sapientia) ostendentes mirari se vehementer, & specialiter amare, ac honorare istam miserabilem creaturam, propter suum illum Dominum, qui ipsam ex infinita sua Bonitate & Sapientia suis manibus signaverat; dicebant, inquam: Hæc est serva, & sponsa magni Domini, hæc est illa, cui Divina Majestas contulit tesserâs & insignia sua: contemplemur illam, ut talem. Ego miserabilis hoc audito fui consternata, & obstupui, tacens, neque sciens, quid

michi esset dicendum. Alioquin enim ignoro, quid respondissem illo aucta honore, qui exhibebatur isti miserabili fimeto, quod eo erat prorsus indignum: siquidem nunc, dum illum describo, & cognosco meam miseriam ac indignitatem, lachrymor, & ex animo doleo.

Postridie manè, dum agerem cum Domino, est absoluta impressio vulneris in corde, & sinistro latere, quæ pridie fuerat inchoata, remanente ibidem ipsius signo impresso, sicut in reliquis partibus. Atque ista impressio non attulit tantum exteriorum dolorem, quantum sensi in alijs, quia ita constituerat, & providerat misericordia DEI, eò quòd illa pars cordis sit adeò delicata, & sensitiva, in hac miserabili creatura, ex quo ipsi fuit manu Divinæ Majestatis inserta illa Crux. Experta sum tamen deinceps majorem dolorem ac molestiam in ea parte, quàm antea. Sequenti die manè agens cum DEO, more consueto, vidi & sensi, quòd ex vulneribus manuum fluxerit, quasi ex totidem canalibus, sanguis, qui descendens per brachia, ac afficiens speciali molestia & dolore eadem brachia, se cum eadem afflictione & dolore diffundebat per totum corpus, quod usquequaque erat tanquam vulneratum & concisum. Post hoc mihi dixit Dominus, ac si me vellet consolari, & satisfacere præteritis meis timoribus: Jam est consummatum opus, quomodo vales? Jamne es contenta eo, quod tantopere timebas? Audivi, quod mihi à Divina Majestate erat dictum, & ingens inde percepi solatium: atque ita fuit finitum tempus meæ collectionis.

CAPUT XXVIII.

De colloquijs, quæ Christus Dominus cum illa instituit, de impressione istorum vulnerum, & quomodo ipsi donaverit pretiosa cimelia, propter dolores, quos in ijs sustinuerat.

His



Is peractis, dum alio die
conversarer cum Domi-
no, & cognoscerem, at-
que expenderem extra-
ordinaria opera, quæ
Sua Majestas in ista mi-
serabili creatura sua peregerat, quæsi-
vi ex illo, quare id fecisset; non ex curiositate,
vel desiderio sciendi fines infinitæ ipsius
sapientiæ, sed quia Divina Majestas mihi
facit potestatem similia sciscitandi. Re-
spondit mihi Divina Majestas, ac dixit:
Causa facti, de quo interrogas, fuit mea
voluntas, quod tibi nunc scire sufficiat.

§. I.

Alio die, similiter agens cum DEO,
sui recordata, me non vidisse, quo-
modo peregerit illud opus, præterquam
quod mihi certò constet esse peractum, ac
senseram quod scripsi, & incessit me desi-
derium id sciendi. Interrogavi itaq; Di-
vinam Majestatem, ut mihi diceret, pro
sua bonitate, modum, quo illud fecerit:
Dicebat enim, cum mihi tunc à se non fu-
isse manifestatum, quòd ita fieri oportue-
rit, propter meum timorem, ac imbecilli-
tatem, quemadmodum consuevit facere
bonus Medicus, vel Chirurgus, dum oc-
cultat instrumentum, quo constituit cu-
rare infirmum. Audivit Divina Majestas,
quod ego miserabilis illum percunctabar,
& respondit mihi statim quàm affabilissi-
mè: Dicam tibi id, de quo quæris, quàm
libentissimè. Petis enim hoc meritò. Ec-
ce, ex vulneribus mearum manuum, & ex
virtute eorum dolorum, quos in illis sum
perpeffus, prodiverunt radij, qui contin-
gendo suis cuspidibus illas partes, in quibus
tibi obtigit ea impressio, inflixerunt & im-
presferunt illa vulnera, quæ in ipsis habes.
Atque hoc dicendo, exhibebat mihi Divi-
na Majestas sacratissima sua vulnera, & ra-
dios, qui ex ijs prodierunt, quando peregit
illud opus, ac si tunc fieret, erantq; illi Di-
vini radij, tanquam radij cujusdam Divini
Solis, inaurati obrizo auro cœlesti, & sua-
vissimo igne flagrantis, qui erat magnæ vir-
tutis, & vehementer splendebat, corusca-

bátque luce clarissimâ, divinissimâ, ac ful-
gidissimâ, quæ recreabat, & consolabatur
vehementer visum intuentis ipsâ animæ.

§. II.

Post hoc mihi etiam dixit: Pro remu-
nerandis doloribus, & molestia, quam
es perpeffa in eo opere, quod in te peregi,
volo tibi dare cimelium elegantissimum,
& pretiosissimum, allaturum tibi multum
boni, gaudij ac solatij. Quamvis autem
mihi non dixerit clarè, quale cimelium ac
donum esset; intellexi tamen optimè, esse
elegantem quandam vestem interiorem,
ab ipso confectam: ideòque illi statim re-
spondi, cum mea anima arderet, ac tota
ejus amore flagraret: Quid dicis, meum
Bonum, & Domine mi? quid mihi vis da-
re in compensationem dolorum, quos pro
te toleravi? Ego nihil volo, Bonum meum,
& Domine mi, ac Spes mea. Quod à te
vellem, quòdque meum cor & anima diu
noctûque suspirans desiderat, ac enixissimè
exoptat, est, ut si quid minimi obsequij ti-
bi exhibui per annos vitæ meæ; concedas
mihi pro tua bonitate, ut te verè amem, &
quæram, ac possideam, quantumcunque
possum. Hoc est, quod ego à te volo, at-
que ista est gratia, quam cupio obtinere à
tua clementia, & nihil aliud: neq; est quid-
quam, quod me fatiet, mihi que latisfaciat,
vel expleat finem mei desiderij. Ac pro-
inde, Domine, cogito, tuâ gratiâ adjuvan-
te, nunquam separari à te, sed perseverare
in pulsandis foribus tuæ misericordiæ, quia
promisisti tuam gratiam, & auxilium om-
nibus, qui te invocaverint, & in te spera-
verint. Postquam cessavissimè hæc & alia
hujusmodi dicere Divinæ Majestati, adeò
animitus flagrans Divino ejus amore, ut
vix mihi viderer intelligere, vel scire, quid
dicerem, respondit mihi Sua Majestas, pro
illa infinita bonitate: sit igitur ita, mane
hic, & pete, quidquid volueris, quia omnia
tibi promptè dabuntur. Audi mihi hoc di-
ctum Divinæ Majestatis, ob quod mea a-
nima longè magis exarsit Divino ipsius a-
more, unde quasi impos mei, cum illa ve-
hementia amoris respondi subito: Ego si-
mili-

militer quidquid habeo, tibi do, & offero quam libentissimè, tua est mea anima, & mea vita, omnesque motus illius tibi dono, & offero, nec non meam voluntatem ac vires meas, & cor meum. Deinde reddita mihi ipsi, dicebam ad me: Seisne, quid dicas? quid habes, quod des tuo Domino, fimetum sordidum & abominabile? quid habes, quod ipsi des, ut illi sit gratum, & non moveat ipsi nauseam? habesne fortè aliquid, quod ab illo non acceperis? atque si hoc ipsi vis reddere, ità illud defœdavisti, & replevisti sordibus, ac miserijs, ut illi non possit esse gratum, & placere. Dum ità hinc flagrarem amore DEI, inde verò immerfa essem isti cognitioni, meæ miserix ac vilitatis, respondit Divina Majestas ac dixit: sit ità; sum contentus, da mihi quod habes: quia licet, ut tu dicis, des tanquam pauper, parùm, si comparetur cum eo, quod ego tibi do, ac dabo, das tamen quidquid habes, & nihil à te ampliùs exigo. Ego verò tanquam dives ac potens tibi volo dare, & do ideò, ac propter meam bonitatem, quidquid habeo, quia tibi do me ipsum; nam quisque debet dare se talem, qualis est, & quidquid habet. Audivi, quod mihi Divina Majestas dixit; & hoc erat injicere accensas prunas in ignem ardentem, eo namque modo incendebant, & inflammabant ampliùs meam animam omnia illa dicta, ac Divina cum ipsa conversatio. Finito isto colloquio, & conversatione animæ cum suo DEO, contuli me ad templum, ubi suscepi Divinam Majestatem in sanctissimo Sacramento, & post sumptam sacram Hostiam sensi, quòd sanctissimus Puer JESUS, speciosior omnibus creaturis cœli ac terræ, complexus fuerit meam animam, qui sacratissimus Dominus mansit taliter in me per mediæ horæ spatium, cum magno meo solatio, quod ego vehementer obstupui. Post biduum, ut mihi videtur, dum manè agerem cum DEO, revocavit mihi in memoriam Divina Majestas suum promissum de cimelio, atque tunc vidi derepentè ex illa corona spinea, quæ fuerat imposta meo capiti, profluentem & manantem sanguinem, qui dispersus per dorsum & humeros, per-

R

veniebat usque ad medietatem corporis, defluebatque etiam aliquid per frontem. Fui consternata, ac obstupui talia opera DEI, & cum viderem illum sanguinem defluentem per frontem, timens nè allquo modo perderem usum oculorum, rogavi Dominum, ut, si ei placeret, non perveniret ad ipsos ille sanguis; nè impediret, quò minus possem exequi pertinentia ad ipsius obsequium. Et sic fecit Divina Majestas propter suam infinitam bonitatem, nè ad illos pertingeret. Eram attonita, dum aspicerem illum sanguinem, qui ex meo capite fluebat, ac dicebam intra me: Quid est hoc, Bonum meum, & Domine mi? Hocne fortè est cimelium, de quo mihi es loquutus? Dum isti considerationi insistere, vidi illum sanguinem, qui se diffuderat per meum dorsum & humeros, sicut dixi, conversum esse in velum Atticæ pretiosissimæ, & contextæ ex splendidissimo ac purissimo auro, quod exhilarabat animam: ac deinde etiam vidi dorsum meum ac humeros coopertos elegantissimo ac pretiosissimo pallio, quod similiter elegantissima erat & pretiosissima Attalica, cõfecta, & contexta ex purissimo auro, intermixtis filis coloris cærulei, qui recreabat & solabatur visum animæ; prætereàque totum erat exornatum ac distinctum multis & varijs gemmis pretiosis, multo splendore, coruscantibus. Fuit etiam collo meo impositum præclarissimum monile, ex grandi & pretiosissimo lapide ejus quantitatis & magnitudinis, cujus est vola manus. Deinde mihi dixit Christus Dominus: Contemplare te modò, quid tibi videtur de isto vestitu, & monili, quod tibi dedi? tum ego miserabilis & indigna tantis favoribus, contemplabar & considerabam me à pedibus ad caput ità ornatam, sicut me Dominus vestiverat, & exornaverat, ac si me intuerer in lucidissimo aliquo & purissimo speculo, eramque absorpta ac attonita, quòd me taliter viderem constitutam; & mea anima tota ardebat amore illius Domini, qui operabatur tam mirabilia in ista miserabili creatura, atque hoc modo mansi ornata, donec manè resecta fuisssem epulo Eucharistico, quem ornatum etiamnum possi-

possi-

posideo, & habeo depositum apud meum Angelum Custodem.

§. III.

Post triduum deinde, vel quatrividuum, cum manè essem collecta, more solito, elevavi oculos animæ, & vidi adesse Sacratissimam Virginem Dominam Nostrâ, quæ mihi dixit: Ego etiam tibi debeo, sicut meus filius, dare aliquod cimelium, ac munus pro præmio dolorum, & molestiæ, quam toleravisti his diebus. Fuerunt mihi hæc verba magno solatio, & cum ipsam amarem, atque illi magnas gratias agerem pro eo favore, quem mihi exhibebat, disparuit, relinquens me plenam solatio; biduo tamen post me secundò invisit illa Sacratissima Domina, tam speciosa, ut me obstupesceret ac abalienaret à sensibus, contemplantem Divina ipsius ac speciosa lineamenta, & sacratissimos illius oculos coloris cœlij ac Divini, quorum supercilia erant longa, & nigra, propter quæ apparebant stupendè grandes & gratiosissimi; cilia verò erant cujusdam divini coloris, quasi aurei vel castanei; sacratissimi ipsius capilli colorem habebant cœlestis purissimi auri. Dùm illam ità attonita contemplerer, vidi tenentem in suo sacratissimo sinu nonnulla cimelia, quæ aspiciebat & versabat manibus; subito autem se erexit in pedes, & expandit illum thesaurum, quem habebat in sinu, ac adverti esse pretiosam quandam & elegantem catenam ex purissimo cœlesti auro, imbutam & ornatam Divinis quibusdam coloribus, tam diversis & gratiosis, aspectuque jucundis, ut vix scirem dicere, quales fuerint, ostendensque mihi illam, dixit: Ecce, ista catena est pro te. Et imposuit ipsam sacratissima Domina suo collo, statimque asservavit, nec mihi tunc eam dedit, nescio, quam ob causam. Ego mihi sum imaginata, id accidisse propter aliquem meum defectum, quem tum temporis commisisset; deinde tamen postridie mihi illam dedit, & imposuit collo.

§. IV.

Biduo post, ut mihi videtur, dum ma-

nè essem ex more collecta, amans DEUM ex toto meo corde, & mea anima, vidi de repente ex vulneribus & impressione, quæ Dominus peregerat in ista sua miserabili creatura, prodeuntes quosdam radios lucidissimos & splendidissimos, qui videbantur facti & efformati ex suavi ac lucidissimo igne, atque ex quadam maxima ac fulgidissima luce, nec non purissimo ac Divino auro, quæ omnia conficiebant simul mixturam talem, & ejusmodi, ut solus illius operis Magister possit explicare elegantiam, quæ ex illa mixtura in ijs radijs orientatur. Incepi attonita ipsam attentè considerare, ut viderem unde prodirent, & quò collimarent, vel pertingerent radiorum cuspides. quod tamen, quantumcunque aspexerim, vix poteram discernere, vel intelligere, sed, ut mihi videbatur, feriebant me ipsam intrinsecus: postea nihilominus vidi manifestè, & agnovi ità reverà esse; me intrà meam animam, & meum cor habere sacratissimū Puerum JESUM speciosissimum, resplendentem instar ignis, & cuspides eorundem radiorum pertingere ad sacratissimas ipsius manus, ac pedes, & latus. Deinde vidi tam clarè, quàm si me intuerer in lucidissimo ac purissimo speculo, in ea corona spinea, quæ fuerat imposta meo capiti, & in ejusdem vulneribus, elegantissimos lapides pretiosos ac resplendentes, qui erant aspectu jucundissimi. Ego verò miserabilis, videns me ità ornatam, confusa & pudescens, quòd viderem istud fimetum ità exornatum, & expolitum manu sui boni, potentis ac sapientis Domini (nec enim est qui possit impedire opera, quæ Divina Majestas vult in suis creaturis peragere) averti subito oculos à me ipsa, ac dixi: Quid est hoc? Quis te ità adornavit, fordidum & abominabile fimetum? sed postquam id dixisset, avertissemque taliter à me oculos, noluit hoc Divina Majestasmittere, vel dissimulare: inò fecit, ut me viderem, meque contemplerer eo modo, quo Divina Majestas me ornaverat, ideòque me vidi, & vehementer obstupui, ac fui mirata talia DEI opera, digna ejus bonitate & potentia, ac Sapientia; atque mea anima-

magno-

magnopere exarsit ipſius Divino amore. Divina Maieſtas dignetur mihi per ſuam infinitam elementiam ac bonitatem dare ſuam Divinam gratiam, ut deſideria tam ardentia, quæ excitavit in mea anima per has gratias & favores, quos mihi præſtitit, amandi ipſum, eique ſerviendi, & illum ſemper in omnibus rebus quaerendi, mandem executioni, ignoſcâtque mihi mea grandia peccata ac defectus, & negligentias, quas continuè in ejus obſequio committo, neque propterea me, dum ipſius opera, & gratias, quas Divina ejusdem Maieſtas exhibet in hac ſua miſerabili creatura, conſcribo, ut illi obediam, utque cognoscatur infinita ejus bonitas, patiatur permanere aridam, ac deſtitutam virtute.

§. V.

Hæc fuit prima vulnerum expreſſio,

(E)**(20)

CAPUT XXIX.

Quo pacto Chriſtus Dominus ſequentibus annis innovaverit iſta vulnera, modis non minùs admirandis, quàm dolorificis, ut experiretur dolores ſuæ Paſſionis, conſolans illam medicamentis myſticis, & ingentibus promiſſis.

R

Oſt hanc primam vulnerum impreſſionem, renovabat illa ſequentibus annis Dominus, modis non minùs admirandis, quàm dolorificis. Aliquando in iſdem Feſtis Nativitatis & Circumciſionis, quaſi ipſi apprecaretur felicia Feſta, & initium anni, per dolores ſimiles iſs, quos ipſe fuerat perpeſſus in ſua ſacratiffima Paſſione; aliàs verò, diverſis anni temporibus, ex occasione aliorum myſteriorum. Ex his nunc narrabimus, quæ primis annis acciderunt, cetera referemus alibi. Ità igitur ait:

§. I.

Sequenti anno, in Feſtis Nativitatis & Circumciſionis, dum aliquando manè vacarem orationi, vidi Chriſtum Dominum eâ conſpicuum gravitate ac maieſta-

qua ſuſcepit iſta ſerva DEI: ubi adjungamus, quòd, etiamſi Dominus ipſi non dixerit cauſam, quare illi præſtiterit iſtam gratiam, primà vice, quâ id ex ipſo quaſi- vit; poſt aliquot tamen deinde annos ei dixerit, ſe ipſi contuliſſe eam gratiam, reddendo illam participem ſuorum vulnerum, propter commiſerationem, quâ compatiēbatur pauperibus ulcerosis, ac propterea, quòd fuiſſet exoſculata ipſorum ulcerem. Et ſic ſe res habebat: quia quando ibat ad templum, ut intereſſet Sacro, deſerebat quandoque ſuam ſociam, & ſola obibat alia templa, ad quorum januas erant pauperes ulcerosi, quibus, procumbens in genua, impertiebatur aliquâ eleemoſynam, & ſuſpiciens in ipſis Chriſtum Dominum, oſculabatur illorum ulcerem, quæ habebant in pedibus exeſis à cancro, & nauſeam moventibus.

te, quâ ipſum ſolco præditum videre; juxta illum erant, aliquantum elevati, duo ſancti Angeli, quorum unus tenebat quàm reverentiſſimè coronam ſpineam in ſuis manibus, alter autem habebat tres clavos ante ſuum pectus, quod non attingebant, quaſi in aère, ſejunctis ab invicem manibus, magnâ cum attentione, & veneratione. Ego miſerabilis modò aſpiciebam iſtos ſanctos Angelos, modò Chriſtum Dominum, ſed ſuper omnia me vehementer animus impellebat ad contemplantos attentè illos clavos, quamvis ipſos vehementer timerem, quia ſuſpicabar, quid eſſet futurum, quòdque mihi eſſent exaſperaturi vulnera, quæ jam habebam in manibus. Erant iſti clavi optimè formati, & elaborati, capita illorum erant rotunda, & inaurata, longitudo eorundem adæquabat ſpithamam, & quatuor circiter digitis, magis infra caput, habebant aliud veluti caput,

R 2

& or-

& ornamentum, similiter inauratum, atque tum infernè longas & angulares cuspides, tanquam ex chalybe lucidissimo, quæ desinebant in subtilissimum acumen. Dú illos sic attonita contemplerer, tetigerunt me illæ cuspides clavorum, in vulneribus mearum manuum, cum ingenti interno dolore, quem in illis percepi. Ingemui exterius, propter illum vehementem doloré, & afflictionem, quam sensi: cumque iterum vellem intueri clavos, non vidi illos, sed conspexi Christum Dominum, qui paulò antè abiverat: ipse me est consolatus. Fui majorem in modum afflicta, sed tamen etiam repleta solatio, propter gratiam, quam mihi Dominus præstiterat. Post hoc fui passa multis diebus magnum dolorem in manibus, etiam externè; ut mihi in volis, & supra illas, viderentur esse perforatæ aciculis, præsertim in manu sinistra. Et cum interrogarem, quare majorem dolorem sentirem in ista manu, quam in altera, dixit mihi Divina Majestas, se etiam sustinuisse majorem dolorem in manu sinistra, quam in dextra.

§. II.

Sequenti die expergiscens horâ secundâ noctis, adverti animam meam adeò flagrare amore DEI, ut videretur mihi eo confici, atque ita hoc amoris igne accensa, incepti dicere Divinæ Majestati, acsi à multis diebus vel horis illi non fuisset loquuta: Bonum animæ meæ, ac Domine mi, & lux mea, atque solatium cordis mei, ubi es? quid tecum agitur, quam diu te non video, neq; alloquor; multum sanè temporis mihi effluxisse videtur, & quodvis momentum, quo te non alloquor, aut te non video, est mihi instar multorum annorum. Dum ista & alia hujusmodi dicebam Domino, peteremque etiam ab ipso remedium pro nonnullis proximorum necessitatibus, sensi per vulnerum foramina, quæ sunt in meis pedibus, transmitti clavum nonnihil crassum, quo superimpositi sibi invicem pedes acclavabantur simul ad lignum crucis, attrahebanturq; ut possent adduci ad foramina, cum aliqua vio-

lentiâ, adeò ut genua ac tibiæ senserint specialem dolorem. Attollens autem oculos animæ, vidi Christum Dominum adstantem, quo conspecto absque ulla reflexione, acsi non haberem conclavatos & afflictos pedes, mea anima se ad ipsum propripuit anhela & famelica, atque cupida sui Domini, ac sui Boni: & collocata ad ipsius pedes contemplantur illum, amabamque, magis eundem Dominum & Bonum meum, qui statim ac me vidit, aperuit vulnus sui sacratissimi lateris, dixitque mihi cum magno amore & charitate: Surge amica, & accede, ac applica os tuum isti vulnere mei lateris. Ego verò miserabilis id audiens, respondi: Non, mi Domine, quia esset ingens temeritas, si hoc facerem. Respondit Divina Majestas: Accede, & esto bono animo. Tum accessi, & applicui os sacratissimo vulnere lateris ipsius, cum magno meæ animæ solatio. Subitò sensit anima altissimam quandam ac suavissimam unionem cum suo dulcissimo Domino, adeò ut sibi videretur, & re verà ita erat, amplecti cor Christi Domini, ubi omnium rerum oblita experiebatur ingentia bona. Post hunc raptum consternata, & admirabunda, dixi Divinæ Majestati: Quomodo ergo mi Domine, & unde mihi tantum boni, ut mea anima fuerit amplexata, tuum sacratissimum cor? quænam ista adeò magna fuit misericordia? Responditque mihi peramanter: Nè ideo consterneris cum enim ingrediar in tuam animam & cor, quando me sumis, quid est speciale, si aliàs adducam ad me tuam animam, mecumque illam uniam, & ipsa amplectatur meum cor? hoc non est multum, Filia. Postea adverti pedes mihi fuisse conclavatos, quia hætenus eorum non fueram recordata magis, quam si mihi nihil tale contigisset; & vidi illos non amplius esse confixos, sed sentiebam in ipsis specialem afflictionem ac dolorem, cum interno profusio sanguinis, ut existimarem, si modicè pellis fricaretur, erupturum indè copiosum sanguinem. Et videbam illos internè ita vulneratos, atque cum tanto exteriori dolore, ut timerent, nè non possem surgere ad suscipiendam sacram Synaxim: ob quod

ob quod dolens redij ad Christum Dominum, ut ipsi id dicerem; non vidi autem illum; jam enim abiverat. Et incepti dolenter conqueri Domino, dicendo: Cum habeam Domine pedes meos recenter vulneratos, & fluat ex ipsis sanguis, quomodo surgam, ad te sumendum? quid faciam, mi Domine, & Bonum meum? Dum hoc dicerem, venit ad me Sacratissima Virgo Domina nostra, quâ visâ, fuit cor meum exhilaratum, dixitque mihi peramanter: Amica, quid habes? Et ego tum incepti illi narrare omnia, quæ mihi acciderant, quòdque hoc me solum affligeret, quia nescirem, an possem surgere ad sumendum Christum Dominum; Sacratissima Virgo me solabatur, & jubebat me bene sperare, futurum enim, ut possem. Cùmque illi referrem, quomodo mihi fuissent conclavati pedes, & nescirem à quo, ipsa mihi dicebat: Tace, quia id rescies, & dicebam ei: Domina, quando mihi acclavabantur, nonne aderat meus Dominus JESUS Christus? hoc dixi; quia ego illum tunc non videram. Dixit mihi Sanctissima Virgo: Erat præsens, etiamsi ipsum non videris, & attendebat, ut videret, quomodo tibi pedes configerentur, & quando illos attrahebant, dixit: Sufficit, quia non debebant trahi vel ad pilû amplius, quam posses sustinere, hæc enim erat ipsius voluntas; deinde mihi dixit Sanctissima Virgo: Vellène sumere aliquem bolum, quo recreeris, & conforteris? Ego dixi: Modò non, Domina, si ita jubes, quia vellem suscipere Christum Dominum. Respondit autem mihi ista Domina: Cibus, quem ego tibi dabo, non erit corporeus, sed spiritalis, ac Divinus, ideòque non impedit sacram Communionem: sed cùm ita velis, differatur ad vesperum: nunc autem quiesce, & respira, ac dormi: Mansitque mecum aliquamdiu, consolans me, & ego obdormivi. Manè verò evigilavi corroborata, & confortata, quamvis cum magno dolore ac sensu in pedibus, ut eorum pellis videretur disrumpi, quando ipsos humi defigebam.

§. III.

PAulò post, alio tempore maturino, dum agerem cum Domino, amando ipsum ex toto meo corde, elevavi oculos animæ, ac vidi ad latus Divinæ Majestatis, quasi in aère, quendam gladium, quia mihi sic apparebat aspicienti ipsum obiter, quamvis postquam illum bene fuisset intuita, viderim esse tantum cuspidem magnæ lanceæ, quæ me nihil minus cogitantem, quàm ut ab ea vulnerarer, & absorptam in amando Christo Domino, tetigit, fauciatque in latere & parte sinistra, ubi jam habebam vulnus, quod Dominus ibidem impresserat. Hic autem contactus, etsi non senserim meo judicio tantum dolorem, quantum sensi in manibus, quando illas tetigerunt clavi, me tantopere vulneravit, & excruciat, ut inde, ex Domini voluntate, major pars corporis fuerit afflicta, fuerimque consternata, videndo, me taliter esse constitutam, quia mihi videbar esse quodammodo leprosa. Accidit mihi id nonnihil molestum, quòd existimarem, me non posse surgere ex lecto, ut me conferrem ad templum; misertus tamen est mei Dominus, deditque mihi vires ad eundem, quamvis tunc non sanaverit meæ vulnera, differens id in aliud tempus; quo hoc Beatissima Virgo præstitit taliter.

Dum aliquando manè essem collecta, vidi venientem & accedentem ad me sacratissimam Virginem, comitantibus ipsam multis Angelis, & Sancto Patre Nostro Ignatio, quem sequebantur nonnulli Fratres, ex ipsius Ordine. Portabat in suis manibus Sanctus Pater duas quasi magnas ampullas argenteas conjunctas, quæ habebant parva, angusta ac brevia colla, atque in qualibet erat delicatissima plumula. Dum meas dolerent vices, Virgo & Sanctus, dixit mihi Domina Nostra: Ego venio, ut curem ac sanem tua vulnera: Esto bono animo, & conquire. Ac tum sedens, seu semi innitens genibus, unà cum Sancto, assistentibus duobus Angelis, qui duabus candelis accensis lucebant, Sanctissima Virgo exemit plumulam, ex una illa-

rum

rum duarum ampullarum, quas tenebat Sanctus Pater, intinctam in Divinū quendam liquorem, purissimi coloris aurei, & formavit illo crucem in meo pectore, quæ in eo mansit designata, acsi esset ex purissimo auro. Deinde exemit alteram plumulam, ex altera ampulla imbutam eodem liquore, quo efformavit alteram crucem in dorso, quæ similiter ibi mansit expressa, sicut in pectore. Cum enim id factum fuerit spiritualiter, oculi animæ viderunt etiam, quod fiebat in dorso. Post hoc Sanctus Pater Ignatius erexit se in pedes unā cum sacratissima Virgine, indutus veste lineā sacerdotali, talari candidissimā, ac gestans stolam. Et postquam dedisset illas ampullas uni ex ijs sanctis Fratribus, qui adstabant, incepit dicere cum magna devotione, & spiritu tam Divino, ut incitaret animam, quæ ipsum audiebat, ad sublimissimam contemplationem, quasdam devotissimas ac Divinissimas latinas preces ad Patrem æternum, quibus illi gratias egit pro beneficijs: & istæ preces, etiam valuerunt, multumque profuerunt ad confirmandam magis sanitatem, quam mihi cōtulerat DEI para, quæ attendebat quā devotissimè, & quodammodo venerabundè Sanctum Patrem suspiciendo, ut repræsentantem Sacerdotis officium, quod obibat, dicendo illas orationes & benedictiones; unde sumpsi singulare exemplum. Sanctus Pater, dictis orationibus, mihi impertitus est suam benedictionem, & postquam mihi valedixissent, simul disparuerunt, relinquentes me vehementer amore sui flagrantem, & vulnera mea curata.

§. IV.

Sequenti anno 1602. decimā Septembris, comparuit mihi, inquit, Christus Dominus, in specie Seraphini, sicut Sancto Francisco, & ex quinque ipsius vulneribus prodibant quidam radij, qui suis cuspibus feriebant meos pedes, & manus, ac latus. Unde mihi accessit dolor tam vehemens, ut propterea dolenter gemerem, donec advenissent Angeli, ad me curandam, quemadmodum consueverunt, ut

me aliquantum sublevarent, non autem occluderent vulnera, quia potius ostendebant, sibi placere, ut semper essent recitata, & aperta. Ideo aliquantō post, contepsi quodam die (anno 1613.) ista vulnera pedum & manuum, ac lateris, ad eum modum, quo solent apparere vulnera jam exsiccata, & subito una vidi oculis animæ, quod Sanctus meus Angelus Custos apprehenderit manum meam sinistram, atque illam, acsi haberet aliquem stylum, totam transfixerit; unde sentiebam acrem dolorem. Deinde transivit ad alteram partem, petivitque à me manum dextram, & dum ego recusarem illam porrigere, propter naturalem timorem vulneris, dixit mihi, esse voluntatem DEI, ut sibi ipsam porrigerem. Porrexi illam, fecitque in ea idem. Postea venerunt alij duo sancti Angeli, & præstiterunt tantundem in pedibus. Timui, nè quid simile vellent facere in latere, quia illud habebam afflictissimum, & vehementer reluctabar. Tunc mihi comparuit Christus Dominus, suæque præsentia me est solatus, & animavit. Interea verò Angeli id ipsum fecerunt in latere. Quia videbam ista signa esse interna, neque exterius apparere, incidit mihi cogitatio, omnes, quicumque id essent audituri, existimaturos, tantum esse imaginationem. Sed Dominus respondit meæ cogitationi, dicendo, illa, quæ non comparent fornicus, esse securiora. Tamen quia sum adeo timida, metuens, nè fortè isti rei subesset aliqua illusio, incepi dicere Divinæ Majestati: Domine, doce me tuas veritates, per temet ipsum, per tuam Passionem; discurrendo per mille titulos, quos fervor suggererat meæ memoriæ, ut illos allegarem. Dominus autem mihi respondit: Propter hos omnes titulos ita feci, & facio; significatus mihi, me posse securam esse, quod non decipiar. Denique per istam impressionem, toties iteratam, voluit Christus Dominus famulam suam experiri dolores suæ Passionis, & intruere intra se ipsam ejusdem insignia, ut animam etur ad illum imitandum, ut apparebit ex eo, quod accidit alijs annis. Quodam die Dominico, ait, Quinquagesimæ (anno 1611) dum audirem illa verba

Evangelii

Evangelij, quæ canuntur in Missa: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur, &c.* fuit mea anima vulnerata & confixa dolore, imprimantibus se ipsi, instar figilli, doloribus, angustijs, & Passione, quam Salvator pro nobis sustinuit: quæ impressio duravit quatuor septimanis, eo modo, quo primâ die, quâ etiam mihi Dominus immisit extraordinarium capitis dolorem: & hic duravit duobus diebus, ac duabus noctibus, deinde verò se diffudit per partes & juncturas corporis, præsertim pedes ac manus, & potissimum per pedem dextrum, ac sinistram manum, ubi Dominus dixerat se majorem percepisse doloré. In istis partibus apparebant signa exteriora tumoris & inflammationis: Non erant autem vacuæ, sicut solent esse ordinariè, sed permeabat & replebat eam vacuitatem, præsertim pedis, quidam quasi nervus efformatus instar clavi, quem videbâ oculis animæ, illuminatis luce, mihi à Domino communicatâ. Patiebar eo tempore, diuturna insomnia, & quasdam animæ cum suo DEO uniones, quæ subinde durabant duodecim horis, aliàs viginti quatuor, aliàs verò quadraginta, atque simul sentiebam totum corpus quodammodo contusum, ac dissolutum, præcipuè in juncturis brachiorum, ac pedum, quasi fuisset affixa, & acclavata trabi, seu cruci. Dolores, quos patior, sunt molestissimi: non enim sunt ità suaves ac mites, sicut antea erant in ijs partibus, quando illas sentiebam, quasi inanes & vacuas, poteramque ipsis insistere; sed modò sunt vehementer exulceratæ, & inflammata.

Alio anno, præsentè Christo Domino, mihi dixerunt mei Angeli: Soror nostra, præpara te, quia Dominus tibi vult conferre gratiam, communicando tibi partem dolorum, quos ejus Majestas sensit, ac sustinuit in sua Morte, & Passione, atque in iisdem partibus, in quibus ipse illos toleravit; jam enim multis diebus nihil tale es passa. Ego propter solitos timores, quos habeo, non quòd nollem pati, sed præve-

recundia rogavi Dominum, ut me illuminaret, præstaretque mihi gratiam, quâ possem assequi in omnibus sanctam ipsius voluntatem. Post duas horas mihi fuerunt acutissimo clavo renovata vulnera pedum ac manuum, & lateris, cum incredibilibus doloribus; deinde imposuerunt meo capiti coronam spineam, & dorso quoddam instrumentum acuminatum: quæ omnia mihi attulerunt summos cruciatus. Atque ità fui vehementer vexata & afflictâ: tamen videbar mihi non ità malè fuisse habita, viribusque destituta, sicut aliàs, quando mihi fuerunt communicati per misericordiam DEI isti iidem dolores. Dixerunt autem mihi sancti hi Angeli: Falle ris, quòd existimes, te ità esse constitutam, sed es similis infirmo, qui non animadvertit suum morbum, atque cum pessimè valeat, videtur sibi, dicitque se bene valere. Et verò ità se rem habere, est advertere ex eo, quod subito unus ex istis Sanctis Angelis, fuitque *Minimus*, me incepit curare, applicueritque pedi sinistro quoddam quasi unguentum rubrum, in loco vulneris, & ligaverit illud celerrimè fasciâ, deinde unxerit pedem dextrum albo liquore, obligando illum, sicut sinistrum; quod ipsum fecit in manibus, & pectore. Postea accepit sanctus Angelus plumam, quâ imbutâ liquore rubro, icripit in ligaminibus quasdam literas. Ligamini pedis sinistri inscripsit: **INSIGNIA DOMINI.** & ligamini pedis dextri: **STIGMATA DOMINI JESU.** in ligamine verò unius manus scripsit: **FORMA DOMINI.** & in alterius: **SIMILITUDO DOMINI.** supra ligaturam lateris scripsit duabus lineis: **FIGURA ET SIMILITUDO DOMINI JESU CHRISTI.** Post hoc Dominus, qui aderat, me contempletus est, tanquam suam, ut quæ similis essem ipsius Majestati, quoad ejus insignia; & incepit mihi impertiri mille benedictiones, signando me cruce. Interea fui rapta in ecstasim, & quando ad me redij, jam erat completum hoc mysterium.

ee)**(ee)

CAPUT

CAPVT XXX.

Quomodo sibi illam Christus Dominus similiorem reddiderit in cruce, crucifigendo ipsam spiritualiter per suos Angelos, & innovando ejus vulnera in varijs pretiosissimis crucibus, magna simul illi promittendo, eximiósque præstando favores.

Non solum voluit Christus Dominus famulam suam experiri dolores sue Passionis, quemadmodum dictum est, verum etiam dignatus est illam sibi reddere similem spiritualiter, in modo eos patiendi, affigendo eam acutis clavibus ad varias mysterijs plenas cruces. Ipsa sic ait.

§. I.

BIduo ante Festum Exaltatæ Crucis, vidi derepentè intrantem ad meum cubiculum Dominum, cum comitatu plurimorum Angelorum; præcedebat autem Divinam Majestatem quidam specialis Angelus, qui portabat quam reverentissimè tantam Crucem, quanta erat, in qua mortuus est Servator Noster. Omnes Angeli adorabant Crucem cum magna demissione. Statim ac illam vidi, fui turbata, animadvertens mihi imminere aliquam crucem & afflictionem, siquidem natura, propter suam debilitatem ac lassitudinem, videbatur abhorreere à cruce, quamvis superior pars animæ esset obsequens, & prompta ad faciendum, quidquid de me DEUS statuerat. Agnoscens Divina Majestas meam turbationem, dixit mihi: Nè timeas, non erit enim ita gravis tua crux, sicut existimas. Transiverunt me Angeli cum Cruce, quam adoraverunt etiam isti mei sancti Angeli, & collocaverunt illam in una parte mei cubiculi, quasi in aliquo horto, ubi ipsam circumdederunt multi Sancti, alij in terra, alij verò in aère, cum magna reverentia. Postridie sensi acutissimos dolores in pedibus, manibus, ac latere, ubi sunt puncturæ vulnerum, & vidi

in quovis eorundem loco modicum stupæ quasi ardentis, unde ille dolor proveniebat. Paulo post unus ex quatuor sanctis Angelis extinxit stupas: quod me non nihil sublevavit. Die sequenti, qui erat Sanctæ Crucis, sub diluculum, mei sancti Angeli, acceperunt Crucem, & imposuerunt illam, non humeris, sed corpori meo, quod ego habebam extensum. Erat admodum gravis, & habebat quasdam acutissimas culpidas, quibus affecit pedes meos & manus, ac latus magno dolore; & sic ipsam diu sustinui. Postea illam abstulerunt, & cum à me auferretur, videbantur mihi discerpi præ dolore viscera. Retulerunt ipsam deinde ad eundem locum, in quo prius fuerat. Disparuit autem mihi ex oculis ad aliquod tempus, ac tum eam de novo vidi portari ab Angelis, ritu supplicationis ad cælum, usque dum effugeret meum conspectum. Dum mihi Crux imponeretur, eram abstracta à sensibus. Verum, ut appareret, Crucem etiam esse instrumentum solatij, sancti Angeli mihi in quodam terribili cruciatu dolorum, superimposuerunt Crucem valde pulchram & magnam, in cuius complexu sentiebam ingens solatium ac levamen, vidique, cælitus illuminata, ista quatuor in illa: Crucem esse robur debilium, murum fortem contra assultus demonum, thesaurum absconditum ingentium bonorum, & ignem incendentem atque consumentem algores animæ. Postea eam à me abstulerunt, & cum meus Angelus Custos illam vellet retinere, cæteri Angeli dixerunt, sibi non esse à Domino concessum, ut ipsam illi traderent. Dominus tum dixit, ut referrent Crucem ad Cælum, unde illam attulerunt; Angelo verò meo Custodi daretur virtus Crucis,

cis, quoad prædicta, ut mihi ea applicaret.

§. II.

Postquam habuissem quãdam nocte indicia à meis sanctis Angelis, eventurum mihi aliquid molestum; atq; id commendavisset DEO, accesserunt ad me, & dixerunt mihi: Soror, venimus iussu DEI, ut te hinc abducamus, & colloceamus ibi. Cùmque ego aspicerem illum locum, quem designaverant, vidi prostratam in terra grandem Crucem, quasi inauratam, in cuius pede, & duobus brachijs, atque capite, erant acutæ clavorum cuspides, acsi fuissent incussi ex averfa Crucis parte. Ego naturaliter extimui, ac dixi: Fiat in me voluntas DEI, quamvis existimem mihi non suppetituras vires, ad sustinendum dolorem, quem tolerabo post istud martyrium. Respondit autem mihi Angelus meus Custos: Esto bono animo, quia ego curabo, quod facere sum iussus à Domino, nè postea patiaris dolorem, quem metuis. Subitò me adverti extensam supra illam Crucem, tectam quodam veluti pallio caruleo, affixo ad pedes & brachia, adhærentibus pedibus ac manibus ad clavos; & sensi ingentem dolorem in anima, qui totus erat internus, ac spiritualis. Inter hæc vidi multos Angelos, qui me cõtemplabantur quasi stupentes, unaque se mihi spectandam exhibuit Divina Majestas, quæ me aspiciebat, atque etiam Christus Dominus in sua Humanitate. Tum mihi derepentè datus est ictus, quin viderem à quo, in pedibus ac manibus, ità ut acclavata fuero Cruci, valdeque creverit internus dolor, absque ejusdem propagatione tamen ad exteriores corporis partes, sicut aliàs fiebat. Deinde fui elevata in altum, non absque magno dolore, quem sensi, quando me elevabant, & dixerunt ad Christum Dominum: Domine, Domine, aspice istam creaturam tuam, quomodo propter te sit constituta. Dominus autem dixit: Bene est: Collocate illam in terra, ut jaceat sicut antè. Post hoc sum passa aliam ecstasim, atque sensi Christum Dominum denuò mihi imprimentem ac

renovantem mea vulnera. Et subitò me adverti esse refixam à Cruce, ac repositam ad priorem locum, atque Dominus accumulando suas gratias mihi dixit: *Omnes illi, pro quibus speciali affectu omnis, quem tibi ego dabo, salvi erunt.* Deinde sensi quendam prorsus singularem modum unionis cum DEO, acsi Eucharistico fuisset resecta epulo, quæ diu duravit, donec sensim sinè sensu ad me rediissem: non adverti autem ullam contractionem & dolorem corporalem, qui mihi solet remanere post ejusmodi martyria.

§. III.

Alio deinde anno, millesimo, sexcentesimo, decimo octavo, postquam nocte quadam adeò fuisset afflicta à meis doloribus, ut mihi videretur dissolvi totum corpus, converti oculos ad me ipsam, vidi que me positam in Cruce, nescio an acclavatam, cum ingenti tamen cruciatu omnium membrorum corporis, & capitis. Crux non erat humi extensa, neque in lecto, sed elevata. Mirata sum, advertens me ità constitutam, & dixi meis sanctis Angelis: Domini, quid est hoc? Istanc, fortè est causa meorum dolorum? Illi mihi dixerunt cum magna commiseratione: Ità, Soror, & multis jam diebus es affixa Cruci, quæ fuit causa dolorum, quos perpessa es, quamvis illam non videris. Fui consternata, & egi gratias DEO. Mansi in ea Cruce circiter quinque vel sex horis; ex qua deinde fui deposita, egregiè afflicta, & contracta. Tum incepti sentire odorem suavissimum, tanquam cujusdam pretiosissimi suffitus, & vidi advenientes multos Angelos, qui habebant accensos cereos in suis manibus, cùmque his multos alios, portantes quàm reverentissimè in quodam pretiosissimo altari, sanctissimam Imaginem Beatæ Virginis Gvadalupensis, ornatam vestitu gravi, religioso, ac modesto; videbatur quoque cooperta esse pallio, habente quoddam capuciolum. Præferebat admirabilè & jucundum aspectu vultum hæc sanctissima Imago, atq; summatam & pulcherrimam vivacitatem. Sex An-

S

geli

geli DEI illi adolebant thus, aureis thuribulis, quam reverentissimè. Ingens fuit meum solatium, quod sensi in hac visitatione. Et cum venerer istam sanctissimam Imaginem, peteremque à Sacratissima Virgine MARIA Domina Nostra quasdam peculiâres gratias, loquuta est mihi, & respondit in illa sua Leone, jubens me bene sperare de ijs rebus, quas ab ea postulaveram. Itâ ibi mansi satis diu. Postea Sancti Angeli abstulerunt pretiosam Imaginem, eodem modo, eademque reverentiâ, quâ ipsam attulerant. Ego magno fui delibuta solatio, ac stupui ejusmodi opera, & miserationes DEI. Post hoc, dum dicerem Sanctis Angelis: Mei Domini, quomodo, cum ista contigerint in spiritu, sentio adeo confractum corpus, quasi re ipsâ fuisset affixa Cruci? Ipsi responderunt: Quomodo tu scis, hæc non contingere, nisi in spiritu? Respondi: quia id mihi dixit meus Confessarius. Illi verò dixerunt: Etiam si quandoq; eveniant in spiritu, aliâs tamen fiunt re ipsâ, ac verè. Et refer tuo Confessario, quod dicimus. Ego ipsi id retuli, qui mihi respondit: DEUM hoc bene potuisse facere, ac dare licentiam diabolo, ut me corporaliter crucifigeret. Angeli autem mihi dixerunt: DEUS id potest facere, & nos videmus ab eo fieri.

Aliâ vice, *inquit*, fui aliquot diebus afflictissima, eò quòd essem posita ad crucem, non ligneam, sed confectam ex tela canabina durissima, quæ mihi penetrabat corpus: & sentiebam me illi affixam in juncturis manuum, itâ ut me non possem movere, neque vertere in lecto, quod mihi attulit magnas molestias ac dolores.

§. IV.

ALio anno postea mihi dixit Dominus: Anima, visne venire mecum? Recusabam respondere Domino, propter meos consuetos timores, & Dominus id dissimulavit, atque postmodum mihi dixit eadem verba. Ego verò similiter simulavi me, quasi non intelligerè, quæ diceret. Perendie mihi denuò Dominus dixit: Anima, visne venire mecum? Tertio respon-

di: Itâ, mi Domine. Tunc me Dominus secum univit fortiter, & suaviter, sensim sine sensu, impertiens mihi lumen, & cognitionem magnam, tametsi obscuram Divinæ suæ Essentiæ: atque tum magis operabatur voluntas. Post istam unionem reliquit mihi Dominus impressos in meo corpore omnes suos dolores, & insignia suæ Passionis, cum vehementissimo meo sensu. Postea me DEUS secundò posuit in quadam Cruce, quasi crucifixam, ubi sensi vehementem dolorem in toto meo corpore, advertique caput meum esse tanquam confixum ipseâ coronâ. Sanctus autem quidam Angelus ijsdem clavibus, quibus aliâs, me affixit ad Crucem cum magnis doloribus, & induerunt me albâ togâ talari, habente manicas, quibus cooperuerunt vulnera pedum, & manuum, atque lateris.

§. V.

ALio anno, vidi quendam Sanctum Angelum, qui totus erat quasi circumdatus ab ipsomet DEO, & ferebat in sua manu, grandem Crucem, totam igneam. Conata sum, quantum potui, animum aliò avertere, donec me Dominus coegisset videre mysterium. Accessit ad me Sanctus Angelus, dicens: Soror, etiam si ista Crux sit ignea, est tamen suavis & amabilis, atque jucunda; osculare illam ac adora; quod animata ad id à sancto meo Angelo Custode, feci, statimque me subduxi, ac deserui ipsos. Vidi poni grandem mensam cooperatam tegumento quasi lineo, in quo fuit extensa Crux. Aderant ibi mei Domini quinque Angeli, quatuor tenebant totidè clavos, singuli singulos, eosque igneos, similes Cruci, quintus autè quendam quasi lanceolam. Adverti me superpositam Cruci, indutam decenter veste, quæ habebat prolixas manicas, & calceatam. Accessit sanctus meus Angelus Custos, & oscularus est manicam togæ, cumque ego idcirco turbarer, dixit mihi: Noli consternari, quia istum honorem non exhibeo tibi, sed donis, quæ Dominus tibi contulit. Deinde arripiens manum unum ex quatuor sanctis Angelis, infixit clavum, quem habebat,

bebat, in signum vulneris, non absque aliquo dolore; postea meus Angelus Custos fecit idem in altera manu, & alius Angelus illi infixit alium clavum, idemque fecerunt in pedibus, infigendo cuiusque pedi suum clavum per foramen, patens in calceo è regione stigmatis, quod erat in pede; ac tandem per aliam aperturam, quam vestis habebat in latere, alius Angelus infixit lanceolam. Deinde vidi humi collocari pedem Crucis, quâ parte solet defigi, & elevantes me Angeli ita crucifixam, firmaverunt ibidem Crucem, infixâ terræ acutâ cuspide, quam habebat in extremitate, atque tunc sensi me totam intrare in Dominum DEUM, per quendam adeo mirabilem unionis modum, ut mihi viderer tota quantâ esse diversâ à me, ac transformata & conversa in ipsum DEUM. Taliter constituta mansi aliquamdiu, donec paulatim ad me redivissem; reperi me autem in meo angulo aliquantum confortatam & corroboratam à Sanctâ Cruce, quamvis cum dolore pectoris.

Atque ut apparent, quid ista Crux ignea significaverit, apponemus, quod ipsa in hunc finem refert, ita dicendo: Tribus continuis diebus, post Communionem, me Dominus, apprehenso meo brachio, duxit per quasdam ardentes flammâs, non admodum altas, quæ non contingebant Divinam Majestatem. Primo die sensi modicum dolorem, secundo majorem, tertio die adhuc majorem, & quâlibet vice tandem me ponebat Dominus in paradiso sui cordis, replens me ingenti solatio, postremâ verò vice in secreto suæ Divinitatis, ubi mihi manifestavit mirabilia de suis attributis & occultis judicijs. Cumque ego postea cogitarem, an eo significaretur Purgatorium, quod me maneret, propter mea peccata, dixit mihi Dominus: Non est, quod cogitas, sed sunt tribulationes, & afflictiones, in quibus te constituo, & opera difficilia, quæ tibi injungo, in quibus ego tibi adsum, ut te adjuvem. Bene autem te ex illis eruam, & per hæc te magis introducam ad meum cor, ac meam Divinitatem. Alias mihi dixerunt mei sancti Angeli: Soror, Dominus vult, ut ingrediaris

& transeas magnum ignem. Extimuit natura, dixitque ipsis: Sum semi-consumpta à vehementibus internis ignibus, quos patior, sed si id vult Dominus, fiat voluntas ipsius. Illi videntes meum timorè, dixerunt: si nos tecum fuerimus ingressi, nonne libenter ingredieris? Ego dixi: Ita, certè, Domini. Duxerunt me ergo ad quendam locum, ubi erat ingens rogi, vehementer ardens, quem sancti Angeli sunt ingressi, neque ignis illos terigit, & dixerunt mihi, ut intrarem. Duxit me Sanctus meus Angelus Custos, & ingressa sum usque eò, ubi ipsi erant. quamvis senserim flammâs involantes in faciem, exiguus tamen fuit dolor, quem sum passa. Cum ibi aliquamdiu fuisset morata,educta sum ad extremitatem rogi, & vidi ex altera parte stantes duos dæmones irritantes ignem, quia cogitabant, me esse intrâ illum. Dum autem circumirent, & me viderent extrâ, pudefacti evanuerunt. Ego dixi sanctis Angelis, quod parum senserim illum ignem: qui mihi responderunt, id propterea accidisse, quod Dominus fuerit mei misertus ob multa, quæ patior; voluerit tamen, ut sustinerem etiam hoc genus supplicij.

§. VI.

Denique die gloriosi Sancti Apostoli Andreæ, mihi apparuit idem Sanctus, ut me solaretur ac animaret; sed dæmon mihi id invidens, collocavit se post illum, me non advertente, dixitque mihi quædam verba, quasi illa diceret Sanctus, quodammodo me acriter reprehendens. Experta verò sum tantam in anima turbationem, prorsus diversam ab ijs affectibus, quos verba DEI, & Sanctorum ipsius excitant, idque cum quodam tumultu, ut me statim ab illo averterem, & quasi consternata me converterem ad meos sanctos Angelos, qui me sunt consolati, & mihi manifestaverunt, quid fuerit. Quando me denuò verti, ut aspicerem Sanctum Apostolum, jam abiverat. Et significaverunt mihi Angeli, ipsum abivisse, eò quod tunc non essem disposita ad illum audiendum; rediturum tamen post quatuor vel

quinque horas; atq; unâ dixerunt: Bono animo esto soror, quia affigēris Cruci in verso capite. Exhorruī naturaliter, sed Angelus meus Custos me animavit dicens, nē timerem; se enim mihi adfuturum in Cruce. Ego illi dixi: Sancte Angele, cum ipse non possit pati, nihil est speciale, quod adsit mihi crucifixæ. Angelus autem mihi respondit: Etiam si non possim pati, possum tamen te juvare, ut subleveris in tuis cruciatibus. Subito me adverti esse affixam cruci, totam, à pedibus ad caput, quam decentissimè coopertam pallio cæruleo, & capite deorsum converso, pedibus verò sursum, sicut fuerat crucifixus Sanctus Petrus. Postquam aliquamdiu mansissem in eo situ, Angelus meus Custos in momento invertit Crucem, & ere-

xit, ita ut superiore sui parte spectaret Cælum; sensique me ab illo deponi ex Cruce, & extrahi mihi manus, quasi ex quibusdā ferreis annulis, quibus fuerant insertæ. Tum mihi imposuit coronam, quam ipse asservaverat, velut in deposito, cuius est superius facta mentio; ut significaret, quid fuisset promerita eo cruciatu. Quando ex isto raptu ad me redij, passa sum gravissimos dolores in toto corpore, capite, pedibus ac manibus, quasi re ipsa, & verè sustinuissem illud tormentum; & gloriosus Apostolus Sanctus Andreas adfuit his omnibus, quem ego rogavi, ut ageret meū Advocatum, ac Patronum, juvaretque etiam alios; ad quod ille, se mihi exhibens promptum, discessit à me, datâ mihi suâ benedictione.

CAPUT XXXI.

Quomodo illam dæmones, molestissima quæque machinando, alijs hujusmodi exercuerint tormentis, & DEVS ipsi declaraverit causam, ob quam esset exosa dæmonibus.



Vi instar tyrannorum, & carnificum justos excruciant, sunt dæmones, permitte id atque concedente DEO, ad magis exercendam, augendamque ipsorum virtutem. Quem in finem Divina Majestas ysdem dedit facultatem, affligendi hanc ipsius famulam, terribilissimis & molestissimis machinationibus, quas referemus. Illa sic ait:

§. I.

ANno 1612. cum fuisset vehementer afflicta à meis doloribus, vidi quodâ die, præsentibus quibusdam meis sociabus, nonnihil à me remotum dæmonem, in specie valde proceri & atrocissimi, ac supra modum abominabilis Æthiopsis, qui adveniebat, habens quasi semiarmatas corporis partes, media brachia, medium dorsum, ac pectus, similiterque reliquas: portabat in manu crassam & formidabile

lanceam, in cuius cuspide erat crudelissimum ferrum. Fui aliquantum turbata, conspectâ istâ terribili ac abominabili specie, & recurri ad DEUM, petitura ab illo Divinum ejusdem favorem & auxilium, ut me in omnibus conformarem cum acceptissima ipsius voluntate. Dæmon me incepit aspicere, mihi que minari, & vibrare suam lanceam, contra pectus, & cor meum: quod videntes sancti mei Angeli Custodes, constituerunt se ante me, ostendentes se velle impedire illum ictum dæmonis, comminantēsque ipsi severe, & cum imperio. Quia tamen DEUS me volebat pati, hoc non obstante, dæmoningentem præse tulit furiam, prorupitque per illos, ut exequeretur, quod ipsi Dominus permittebat, & infixit summo impetu illud ferrum meo pectori, quoadusque cusps penetraret dorsum, adeo ut, quamvis id acciderit in spiritu, torum meum corpus contremuerit, & cohorrerit, fueritque mihi attendendum, nē erumperem in aliquos

aliquos clamores, vel exterius ederem signum, quod notarent sociæ præsentis, id quod vehementer avertor. Extraxit suam lanceam dæmon, & fugit celerrimè; ego verò remansi pessimè affecta, ac debilitata, licet mihi sancti Angeli succurrerint in hac debilitate ac defectu virium, accedentes ad me, & me consolantes. Ex isto ictu dolor illarum partium est valde auctus adsequentem usque diem, cum mea magna afflictione ac timore, nè haberem aliquod signum aut vulnus apparens, ut revera habui. In ea perturbatione mihi Dominus aliquoties dicebat, consolando me, quasi obscurè, nolens se magnopere declarare: Nè id metuas, permitte omnia meæ providentiæ. Quanquam aliàs ita se mihi subducebat, & occultabat, ut paterer absque ullo solatio, & levamine.

Dum essem taliter afflictæ, & quasi à DEO deserta, bidui vel tridui spatio, conspexi Christum Dominum, qui me respiciebat suis Divinis oculis, paulatim ad me venientem cum magna majestate, & benignitate, stipatum innumeris Angelis. Obstupefacta ac attonita eam misericordiã, cum jam intellexissem, quid Dominus esset facturus, incepti turbari ac timere. Verum ipse nihilominus ad me venit, tangensque suã sanctissimã manu vulneratam partem pectoris, ac deinde dorsum, liberavit me ab illo dolore, integrèque sanavit. Postea mihi dixit Dominus: Vale, & requiesce nunc tantillum, jam enim es à tuo maximo dolore & cruciatu curata.

§. II.

DUm ita quadam nocte agerem cum DEO, dixit mihi: Attende, & scribe, quod tibi modo eveniet. Subito ab ipso illuminata intellexi, quid esset futurum, excruciamdam nempe me in quinque corporis partibus, quas habeo adeo afflictas. Unde statim constrinxi totum meum corpus, cooperui manus, & retraxi pedes ex naturali timore, quo eram correpta. Sed paulò post vidi quendam diabolum instar catelli, cujus caput & prægrandes fauces erant taurinæ, habebatque retorta cornua:

Hic incepit pedes, in ijs partibus, quas habeo tumidas, vellicare rictu, & faucibus, atque penitus dilacerare cornibus, illa tubera pedum, præsertim in pede dextro, ita ut mea anima illos videret manifestissimè usquequaque vulneratos, & manantes sanguine. Deinde idem fecit in dorso, & in uno latere, convulsis ijs partibus, & cruentatis: tentavit tantundem efficere in manibus; quod ipsi tamen DEUS non concessit, ideoque illas solùm attigit. Hoc tormentum sustinui ultra quadrantè horæ, quod fuit peracerbum, ut me cogeret ad gemendum; quamvis id dissimularem, nè audirer à sociabus, quæ aderant. Postea discessit, & sancti Angeli suã illã specie manuum consolidaverunt ac sanaverunt illas partes vulneratas, quasi nihil mali fuissent perpessæ, tantumque sentiebam quandam in ijs debilitatem. Itã transegi quatuor vel quinque dies, quibus elapsis, DEUS permisit, ut in mea anima naturaliter inciperem experiri timores istarum viarum, quibus ab eodem Domino ducor; cumque die quodam essem solito afflictior, dixit mihi Dominus: Dic Filia, quomodo sic es constituta, & quis te taliter debilitavit ac pessum dedit naturam, absque speciali dolore & infirmitate, ex qua id posset provenire? Respondi illi: Solatium animæ meæ, sola tua me sic sustentat potens manus, & tua sanctissima voluntas: sis benedictus in æternum. Tunc dixit Dominus: Tuæ molestiæ oriuntur ex vita interiore tuæ animæ, & ex eo, quod propterea toleras ac pateris. Unde volo, ut intelligas, & cognoscas esse verum, quod interne in anima tua sentis ac pateris.

§. III.

Videamus alias formidabiles hujus hostis inventiones, pro excruciamdam illa, quam tantopere abominabatur. Quãdam vice (anno 1616.) ait, propè Quadragesimam, eram majorem in modum afflictæ, & patiebar gravissimos dolores totius corporis ac stomachi, amaritudinem oris, & ingentem sitim, nec poteram comedere, vel etiam bibere, neque dormire. Nesciebam, quid mihi esset, præterquam quod

versarer in continua cruce, & sentirem magnam inquietudinem corporis, quamvis totus spiritus esset valde resignatus in manus DEI. Venerunt ad me Sancti mei Angeli, ut me consolarentur, ac animarent, & videbantur mihi aliquid agere manibus. Atque tum adverti me esse indutam quadam veste, confectâ ex durissimo corio, suffulta carduis, qualibus uti solent lanarij pro carminanda lana, quorum cuspides erant acutissimæ; pertingebat vero usque ad genua, & manicæ ejus erant latæ, protensæ ad cubitos. Ille vestitus me vehementer torquebat, afferebatque mihi prædictos dolores, & ingentes corporis ardores. Venerunt deinde Angeli, qui illum manibus modicum dimovebant, nè me tantopere cruciaret. Quidam autem atrocissimus daemon, in specie deformis viri, prodivit ex improvîso, quem catenus non videram; murmurans intrâ dentes, dicebatq; sanctis Angelis, quare me sublevarent, cum ipsi DEUS dederit facultatem, me induendi illâ veste, sicut fecerat. In hoc tormento exegi complures dies, qui erant tredecim, vel quatuordecim. Dum ita post præcedentem cibi nauseam essem afflicta, ut nè vel unum bolum possem deglutire, accesserunt ad meum lectum duo mei sancti Angeli, unus ad unum, alter ad alterum illius latus, posueruntq; ante me quandam pretiosam patinam, plenam diversis fructibus, & dixerunt, mitti mihi illos à DEO, ut me ijs reficerem. Ego ipsos nullo modo volui attingere, quantuncq; me rogarent, quoad quidam ex sanctis Angelis, qui vocatur FORTITUDO, accepisset unum fructum ex patina, apprehensum per petiolum, eundemq; applicuisset in eo ori, quem ego re verâ comedi. Quando Angelus elevavit fructum ex patina, emisit fructus ille ex se magnum splendorem. Habebat autem colorem vivacissimæ purpuræ. Non masticavi illum, gustavi tamen, & sapiebat instar mali granati. Deglutivi ipsum, & recreavit me, multumque confortavit. Tum alter Angelus fecit idem, deditque mihi alium fructum. Deinde mihi porrexerunt potum in quadam veluti pelvi, quæ erat ex nitida

transparente crystallo, ita ut bibendo viderem vas, unaque Angelum, qui mihi porrigebat aquam. Post paucos dies, quodam die antecinerali, manè, venerunt mei sancti Angeli, dicentes mihi, se jussu DEI venire, ad exuendam me istâ veste, & quamvis ego noluissem mihi ipsam ab illis auferri, re ipsâ me eâ quàm suavissimè exuerunt. Fui sublevata, utpote exonerata veste tam molestâ: remansit mihi tamen dolor, & retinui corpus totum afflictum. Angelus complicit vestem, posuitque sub brachium, & cum cæteris quatuor adivit Christum Dominum, coram quo flexis genibus explicuit vestem, dicens: Domine, hic adderimus vestem, quæ fuit excruciatâ illa, quæ tui amore patitur. Aspiciat ipsam Tua Majestas. Aspexit illam Dominus, ac dixit: Estne ista? Ita, ista est, dixit Angelus, videat Tua Majestas sanguinem, quæ profudit in hoc martyrio. Erat enim cruentata sanguine, quæ elicuerunt cuspides carduorum. Interrogaverunt quoque Angeli Dominum: Quid dicemus, Domine, nomine Tue Majestatis isti Famulæ tuæ, & cui commitemus hanc vestem? Dominus respondit: Dicetis illi Famulæ & Animæ meæ, nomine meo, omnia quæ est passa, & patietur, ipsi profutura, ad augmentum majorum coronarum in mea gloria, quam me illi daturum polliceor, atque ex hoc momento illi concedo, quod à me toties petivit, videlicet, magnam conformitatem cum mea voluntate in patiendo pro me: vestem autem tradite Angelo ipsius Custodi, ut illam in die judicij ibi exhibeat, & appareat, quid pro me hæc mea creatura fuerit passa. His auditis sancti Angeli, post exhibitam magnam reverentiam Domino, convolventes suam vestem, redierunt ad meum cubiculum, quàm MINOR expandit coram meo Angelo Custode, inclinansq; se coram eo usq; ad terram, tradidit illam ipsi Nomine DEI, qui eam accepit similiter, non tamen adeo profundè se inclinans, & asservavit cum alijs meis rebus, sibi commissis. Idem Sancti Angeli mihi nomine DEI nunciaverunt, quod illis fuerat demandatum.

§. IV.

Quadam nocte fui quasi infomnis, à diabolo & alijs socijs incutientibus mihi vehementes timores, cum magna crudelitate, ac tumultu, rapta & suspensa per capillos, ut mihi videbatur, vel per colum, & collocata in quadam re altissima, ac posita in aëre, ubi mihi infixerunt multos & acres ictus quodam fune, qui habebat crassissimos nodos. Sustinui illud supplicium valde diu, & diabolus mihi significabat, quòd me ita excrucieret propter devotionem, quam habebam, & ingenerabam alijs erga immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis MARIE. Evigilavi ex illo somno afflictissima, tam interne in anima, quam quoad molestiam, & cruciatum Naturæ. Et fuerunt tanti dolores, atque confractio miserabilis corporis, ut intra quatuor vel quinque dies vix me potuerim movere, vel vertere in lecto. Toleravi cum solatio meum martyrium, amore DEI, & sanctissimæ ejus Matris.

Alià vice, dum vehementer opprimerer doloribus, vidi venientes quosdam diabolos, parvulos & crudeles, qui cum ingenti strepitu voluebant seu raptabant doliolum grandiusculum, quod, ingressi cubiculum, ubi ego eram, inverterunt, atque ibi evacuaverunt; unde exivit quædam pestiferè fetens putredo. Sic afflictà conabar avertere oculos interiores ab illa memphiti, licèt, volente Domino, ut illam graveolentiam tolerarem, non potuerim. Aspexi versus portà cubiculi, & vidi illos meos sanctos Angelos DEI advenientes quasi forinsecus, quibus conspectis apud portam cubiculi, incepti valde ferio conqueri, ac dicere: Ah, mei sancti Angeli DEI, unde veniunt? ergone jam non erant hic? Cum enim illos plerumque videam, & experiar, seu agnoscam adesse, visa mihi fuit res nova, quæ me afflixit, quòd intelligerem ipsos abfuisse, & dicebam: Propterea etiam ausus est iste diabolus & alij, id, quod perpetraverunt in hoc cubiculo. Quid fiet modo? Quà ad me venient? cum omnia sint plena sordibus, ut vident. Hæc dicebam cum illa molestia, quam sentiebam, quasi

sancti Angeli possent aliquà ratione infici sordibus. Licèt autem ego id non ignorarem, apprehensio tamen ejus rei, quam videbam, me movebat ad sic loquendum. Ipsi verò responderunt meis ineptijs peramanter, ac benignè dicendo: Tace, soror, nè id molestè feras, neque te affligas, quia omnia bene fient. Unde autem veniamus, bene scimus; lætaberis & capies inde solatium. Quamvis mihi porrò eo modo communicationis & locutionis non dixerint ampliùs, alio tamen magis spirituali ab iisdem intellexi, quòd venirent à duabus infirmis personis magnæ autoritatis, quas videraverant, & quibus ego plurimum optabam sanitatem, quam pro ipsis postulaveram à DEO, atque, ut deinde intellexi, postquam misissem, ex quo rescirem, quomodo valerent, meliùs habebant. Subitò conspexi duas nonnihil à terra elevatas quasi lineas efformatas, seu radios splendidos à porta tendentes ad mecum usque lectum, & aliquantum ab invicem disiunctos, per quos transiverunt quatuor Angeli DEI, ita ut bini per singulos incederent. Quidam autem parvus ac niger diabolus, qui erat apud portam cubiculi, illis transcurrentibus incepit gesticulari instar petulantis, & malitiosi pueri, movendo ac agitando illas lineas seu radios, quos pertransibant, ut videretur illos velle dejicere ad terram. Hoc modo ad me pervenerunt, & solati sunt me, atque allocuti. Ille verò petulans & malitiosus diabolus continuo applicabat caput ad portam, quasi vellet videre ac audire, quid fieret, & deridente, vehementer timens ac turbatus, se abscondebat, & retrocedebat foràs. Angeli DEI videntes, quid dæmon faceret, dixerunt ipsi: Veni huc, proditor; qui constitit apud portam, totus tremens. Illi autem: In nomine, aiebant, Domini tibi præcipimus, ut statim huc intres, & expurges ac everras abominabiles sordes, quas in hoc loco sparsisti tu, & tui socij: Diabolus sine mora, audito hæc præcepto sanctorum Angelorum, cum magno dolore, cruciatu, & confusione intravit, & cepit expurgare, & everrere illas sordes, egerendo illas per quendam hiatus patentè

intra

intrā pavimentum cubiculi; id quod faciebat tanta cum molestia ac dolore, miserabiliter conquerens, ut videretur vehementissimè torqueri & affligi. Et postquam expurgavisset, multoque mundius reddidisset cubiculum, quàm fuerit antehac, etiam ipse descendit per illud foramen vociferando: atq; tum fuit clausum pavimentum, sicut fuerat priùs, & sancti Angeli DEI manserunt mecum, uti anteceden-

ter. *Alijs ipsam aliàs demones ex cruciaverunt molestissimis tormentis, afferentibus illi ingentes afflictiones, quorum etiam affectus sentiebat in doloribus, & corporis confectione, quæ illi remanebat: dolor insuper internus non erit alius, quàm si illū pateretur exterius, ut propter hos effectus interdum dubitaverit, an non ipsam demones torquerent corporaliter.*

☉*☉

CAPUT XXXII.

Quomodo illi Dominus manifestaverit causas, propter quas ipsam demones odio habuerunt, iisdemque postulantibus illam exerceat derelictionibus, ac desertionibus internis, aliisque modis, & quàm se bene gesserit in omnibus.

M

Agno est solatio ys, quos demon persequitur, scire causam, ob quam ipsos insectetur, quemadmodum erat solatium martyribus, scire, cur illos persequerentur tyramni. Hoc DEUS sua famula revelavit pro solatio.

§. I.

Postquam, inquit, fuisset vehementer, quatuor continuis septimanis, pressa magnis doloribus, quos toleraverat, ita ut mihi quandoque viderentur dissolvi ossa, & natura esse prorsus pessundata, apparuit mihi Dominus (videbatur enim Divina Majestas non posse ferre, ut me ita tractaret, neque mihi aperiret causam meorum dolorum) dixitque mihi: Anima, es afflicta, & vehementer molestaris, neque scis causam tuorum dolorum. Noveris igitur omnia provenire à diabolo, qui à me petit facultatem, te affligendi & ex cruciandi. Ego autem illam ipsi concessi limitatam, ut ne minimum quid possit facere, absque meo permisso & voluntate, quamvis te usque adeò oderit, ut si ego id ipsi permitterem, te perderet, ac annihilaret. Ego respondi: Re verà, mi Domi-

ne, ignoro causam, ob quam mihi diabolus adeò malè sit affectus, quia nihil feci illi adversum, ut in tantam rabiem agatur; neque tibi ita servio, ut id merear, imò sum tepidissima & pigerrima, nec tibi servio tam serio, quàm convenit, & ego teneor, quin potius sum valde ingrata, nihilque tibi rependo pro tuis Divinis beneficijs. Dominus autem mihi respondit: Causa, cur tibi ita malè afficiatur diabolus, est, quia novit, quòd te magnopere amem, tibi que bene velim, & præstem magnas gratias, ut præ invidia agatur in rabiem. Præterea scit occasiones, quas mihi tu præbes, ut ego tibi exhibeam ejusmodi favores, & quomodo te pro illis disponas. Hoc est, quod illum torquet ac affligit, & in rabiem agit, ut te vellet in nihilum redigere. Nihilominus tibi verè dico, id non futurum in ejus potestate, quia ego sum tecum, & ero semper. Tum ego respondi: Adverto me, Domine, ita viribus destitutam, & omnes potentias, quarum est juvare animam, ita esse sopitas, ut neque ad te possim accedere, sicut desidero; videaturque Tua Majestas à me his diebus recessisse, & me deseruisse. Dominus mihi respondit: Noli idcirco sollicitari, quia tibi nunquam fui vicinior: modò namque dum pateris, habes

habes me intra te. Et quomodo tu posses pati, quod fuisti his diebus passa, pro mea gloria & majori bono ac fructu tuo, si ego à te abfuissem? Certum tibi fit, quòd me nunquam habueris tibi viciniorem, quàm modo. His dictis me Dominus animavit, & solatus est in meis afflictionibus.

§. II.

Postquam ergo diabolus vidisset, quòd non posset vincere suam inimicam, existimabat ipsam, propterea quòd usque adeò amaret DEUM, nullà rem magis posse turbari, atq; confici, quàm si illum sibi esse adverteret offensum, & exhibentem signa vehementis ire ac indignationis. Unde id petiuit à DEO fieri, & Divina Majestati volenti annuere huic petitioni demonis (ut intelligeret se decipi, quemadmodum est in omnibus justis) placuit ejus rei sumere occasionem ex quodam levi defectu, quem commiserat, ità ut ea indignatio ipsi esset loco pœne, & probationis atque experimenti.

Quadam nocte, ait, sum passa magnam ecstasim, in qua me ipsam in spiritu vidi in angulo palatij cujusdà præcipuæ Dominae, cui eram plurimum obligata: ubi etiam videbam Christum Dominum, præbentem indicia indignationis, qui mihi infixit aliquot ictus, ad eum modum, quo vendentes & ementes flagello, ejiciebat ex templo. Fui propterea afflictissima, quòd ignorarem causam, nec dubitarem, eum, qui me castigabat, esse ipsummet Christum, etsi illum non fuero ausa aspicere in facie. Angeli, qui me comitabantur, erant nonnihil remoti, condolentes mihi. Fui summè pudefacta. Redij ad me, & cogitans de eo, quod videram, petebam à DEO illuminari, ut cognoscerem ipsius veritates, neque deciperer. Dum sic essem constituta, dixit mihi Dominus: Vidistine, quid acciderit, & scisne cur? Duæ sunt causæ. Primò, quia diabolus dicebat, ut, si te serìò vellem probare, ipse ego te probarem aliquà indignatione, tunc enim fore, ut appareret, an sis fidelis. Secundò volui, ut hæc probatio perageretur in eo palatio in pœnam negligentia, quam cõ-

misisti in orando, pro illa Domina, cui tantum debes. Fideliter tamen te gessisti in experimento. Et cum me videret adeò afflictam (quia talia etsi fiant in spiritu, affligunt nihilominus corpus) dixit mihi: Visne aliquod levamen? Ego respondi: Non, Domine, non volo levamina in ista vita. Sed hoc non obstante, mandavit Angelis, ut me recrearent, & ipsi me duxerunt ad quendam locum deliciosissimum, ubi aliquantum quievi.

§. III.

Dum alià vice mea anima experiretur se quodammodo derelinqui ac deferri vehementer & notabiliter à suo DEO ac Domino, semper nihilominus invocabat DEUM, petens ab illo, quod semper petit, & eodem modo, misericordiam ac lumen pro se, & pro suis proximis. Quia enim ipsam Dominus semper dignatur habere præsentem, agit cum illo, atque conversatur, quomodolibet à DEO habeatur, & in quocunque statu eam ponat, nec est unquam absque illo, neque ipsum deserit, & omnibus modis, illi bene est, quidquid Divina Majestas faciat ac statuatur. Dum ergo à DEO prædicta peteret, dixit ipsi Dominus serìò, & quodam sublimiore modo, ac austero, quasi tantum veniret ad redarguendam ipsius adeò pertinacem petitionem: Anima, quid est, quod modò petis? ut tantopere clames, sisque obfirmata in petendo? quid vis? dic, quomodo id audeas facere? vides, quòd me à te absentaverim, tibi que occultaverim, & quòd te quasi solam velim relinquere in cruce? nonne hoc sufficet, ut te contineas, ac taceas, meque relinquant? Tum se statim Dominus rursus subduxit. Audivit mea anima, quod illi à DEO ac Domino ipsius erat dictum, & nec ideò fuit contristata, sed, sicut prius, perseveravit in suis clamoribus, dixitque Domino suo: Verè, mi DEUS, & Bonum meum, etiam si plus facias, & plus dicas, magisque me asperneris, ac à te rejicias, semper me oportet clamare, & perseverare ad fores tuæ misericordiæ, ac pietatis, quamvis mihi nunquam

T

quam

quam respondeas: atque si unâ portâ me pelleres, intrarem aliâ. Hic enim mihi moriendum est, & vivendum, & semper manebo prostrata, ad pedes tuæ clementiæ. Dum hæc dicerem, fuit anima mea quodammodo fatigata vehementiâ affectûs, & passa est ecstasim, quasi dormitans, ac tum illam DEUS ipsius expergefecit allocutione quadam Divinâ & plenâ suavitatis, atque misericordiæ, dixitque illi: Quid facis, mea Anima? dormisne? Expergiscere Anima, in me namque manes, & ego te gesto in meis brachijs, nec omnino dubita, me tibi nunquam defuturum, meâsq; aures semper fore attentas ad tuas voces, & clamores: postula à me, Anima, quidquid volueris, tibi que placuerit, ac fuerit pro tuo solatio. Audiendo animâ hæc Divina verba, fuit valdè recreata, glorificans suum DEUM, propter tantas misericordias.

§. IV.

Hæ interne derelictiones ipsi frequenter contingebant, ut magis perficeretur in virtute. Quodam tempore, ait, me demon vehementer persequebatur, mihiq; minabatur, non ita tum futurum, sicut cætenus fuit, sed quod me esset extrahaturus ex lecto & raptaturus, ac pessumdaturus. Ego parùm curabam ipsius minas, sed sentiebam angustias, & derelictiones interiores DEI, ipsiusque Angelorum, ut mihi viderer pendere inter cælum & terram, & quasi sola fuissem relicta meis tantummodo viribus, quamvis per DEI misericordiam mea anima semper esset unita cum Divina Majestate, dependeretque ab ipsius præsentia.

Sed magis miratur, quod, dum in parte inferiore anima pateretur has derelictiones, simul afflueret ingenti solatio & gaudio in superiore parte spiritûs, quod erat quodammodo conjungere protectionem ac derelictionem. Postquam mihi, inquit ipsa, DEUS præstitisset extraordinarias gratias, obtulit mihi etiam ejusdem Majestas res molestissimas, & vehementer mei afflictivas, adeo ut quasi versarer inter saxa; ac miserabile meum corpus sentiret summos dolores &

cruciatu, quoddamq; martyrium & crucem, quæ in mea apprehensione erat summa: nihilominus tamen anima mea non carebat tantis ijs bonis, quæ dixi, neque illa mihi vel hilum crucis meæ auferebant: sed gloria, bona, & consolationes, cruces, afflictiones & martyrium unâ jungebantur, & pari passu procedebant, ita ut bilancæ semper consisteret in æquilibrio. Fuit mirabilis hic modus, quo DEUS mecum egit per aliquot dies, quem hæctenus taliter non fueram experta; quia præ vehementia dolorum, me sæpe relinquebat, quasi penitus pessumdatam, & proximam morti, ut natura & externæ potentie omni suâ destituerentur operatione, quoadusque, DEUS post plures horas, & sæpe dies, rursus aliquantum confortaret meas potentias, quemadmodum ejus Majestati placebat; deinde verò denuò redibat meæ extraordinarium martyrium. Ità exegi aliquot septimanas, & interdum me inveniebant insolito modo constitutam, ut de me DEUS disponebat: quia cum ingenti interno solatio meæ animæ ardebat magno amore, sentiens magnam suavitatem ac delectationem, unâ cum terribili cruce, quasi tamen illa crux non esset ex peracutis contexta spinis, sed recentissimis, suave-olentibus, ac fragrantibus rosis, & anima mea quiesceret in suavi ac florido lecto. Hoc rarò fiebat, neque ista solatia erant, sicuti ordinaria, quæ DEUS solet communicare, sed alia in intimo spiritûs recessu.

§. V.

Alius modus derelictionum erat, quando dabat licentiam diabolo, ut ipsam durantibus favoribus & gratijs, quas ei exhibebat, abriperet, ac illas impediret, quamvis deinde omnia converteret in majus ipsius bonum ac solatium. Aliquando, inquit, DEUS volens me non nihil recreare, ut possem progredi in meis afflictionibus, duxit me quodam die per meos Angelos ad cacumen cujusdâ alti montis, unde comparebant delitiosa, & jucundissima visu prata, arboreta, fluvij ac fontes. Et postquam fruita fuisset aliquamdiu hoc aspectu,

ctu, atque aliquantum respiravifsem, permifit Divina Majeftas, ut me demones arriperent ac præcipitarent ex illo monte, quin tamen confringerer, etfi caderem fupina. Perveniens autem ad pedem montis, qui definebat in crepidinem magni cujusdam fluminis, volvebar quafi per arenam, donec inciderem in flumen, & fic fui à profluente portata fatis procul, pertranfeundo arcum cujusdam magni pontis, qui erat in flumine. Post pontem vidi fluvium ingredientem in mare, & fui lata impetu profluentis aquæ ufque ad ipfum mare, unde me extraxerunt mei Angeli, duxeruntque ad quandam domum recreationis (erant enim multi horti in littore) ubi fui confortata, & gratias egi DEO pro beneficij, quibus me cumulabat. Deinde me Angeli duxerunt ad cælum, ubi fum fruita delicijs, ac folatijs, quibus aliàs: fenfi tamen ingentem dolorem in corpore, qui provenit ex cafu, quando fui præcipitata, ex monte. *Per hanc vifionem videtur illi DEUS voluiffe indicare, poft folatia fequi afflictiones: &, quando tribulationes vehementer torquentes, fiunt quafi quoddam mare, eripi ex illis animam à DEO, cum majori folatorum abundantia.*

Aliàs, dum multas paterer afflictiones, dixit mihi Dominus quodam die: Es afflicta, Soror, visne venire mecum? Refpondi ftatim: Ità, Domine. Venerunt Sancti Angeli ad me ducendam, & videbantur me non poffe elevare. Vidi autem ex lecto cælos apertos, & quidquid eft ibi; atque advertēbam, Dominum mihi veluti annuere, ut venirem. Optabam hoc valde, & non poteram. Incepi cogitare, quænam efferet hujus rei caufa, attribuens totum meis defectibus, jam his, jam illis, & meæ indignitati, petebamque à DEO omnium veniam. Dum ità efferem anxia, vidi me detineri à quatuor vel quinque diabolis. Statim autem ac ipfos viderunt sancti Angeli, aggregati sunt illos, ut eos inde expellerent, licet ipsis refifterint. Unus autem fe proripuit, mihi que appropinquavit, ac fuo capite & genibus talem impēgit icum in dorfo, ut fuerim vehementer contufa.

Accessit Angelus Custos, & dixit mihi: Marina, nè te affligas, ego enim te curabo. Poft unam deinde horam mihi comparuit iterum Christus Dominus, vidique in eo, non folùm, quòd efferet Homo, fed etiam DEUS, totusque circumdaretur à Divinitate; dixitque mihi: Quod accidit, non provenit ex caufa, quam tu putas; fed ego id permifi pro te probanda, & quia mihi placebat tua diligentia, quam adhibebas, examinando caufam tui impedimenti: Noli affligi.

Denique aliquando sub pretextu commiferationis offendit Diabolus, quantopere cuperet videre iftam fuam inimicam, redactã in nihilum. Dixit ipfi quodam die Divina Majeftas: Anima, quid faciam, ut te fublevem in tuis moleftijs & afflictionibus? Refpondit diabolus, qui adftabat: Domine, in quo potes fublevare iftam animam, eft, ut illam liberes ab afflictionibus, quia jam diu patitur. Ut ut fit, tu ipfam tamen assumes ad te, melius ergo eft, ut id fiat ftatim. Dominus autem illi refpondit, præferens magnam indignationem: Oproditor, quis te constituis confiliarium Omnipotentis? Pluris ego facio unam homini, quã hac anima patitur, atque ut exequutioni mandentur omnia, quæ ftatui cum illa facere, quã iftos favores accelemtos, de quibus loqueris. Ufque adeò irvidebat diabolus ifti famule DEI multa merita, quæ sibi accumulabat fuã patientiã ac refignatione, & affligebatur, eò quòd non poffet contra illam prevalere.

Sic imponimus finem primo libro, qui complectitur tria cõtenta in via extraordinaria, quã fuit ducta à DEO, combinata ex admirandis favoribus, & gratijs, nec non tremendis cruciatibus ac tormentis, unãque præclariffimis virtutibus, quandoquidem in ea reluctet profunda animi demiffio, cum cognitione propriæ vilittatis, obedientia punctualiffima, quam exhibebat DEO, & ipfius Angelis, atque Confeffarijs; ardens zelus, ut bene efferet animabus; continua oratio & familiaritas cum DEO, à cujus præfentia nunquam recedebat; infignis patientia in proprijs neceffitatibus, infirmitatibus, tormentis ac martyrijs, qua de manu DEI per Angelos ac

T 2 diabo-

diabulos, quorum operâ utebatur, sibi obvencientia patiebatur, preter magnas corporis vexationes, flagellationes rigidas, & frequentia cilicia asperissima, jejunia continua, ac alias afflictationes, quas, dum illi suppetere vides, voluntariè usurpabat, confere-
do de ijs cum Arbitrio Conscientia, & exe-

quando, quantum illi permittebant, quifaccommodabant ardenti ipsius fervori, quavis non absque prudentia Christiana. Atque hec omnia declarabuntur, & magis patefient per ea, qua sigillatim referentur in sequentibus libris.

☉†☉

A. M. D. G.



LIBER